MEMORABILIA

SOCIETATIS IESU

VOLUMEN II

FASCICULUS III — ANNO 1926

AD USUM NOSTRORUM TANTUM

ROMAE
APUD CURIAM PRAEPOSITI GENERALIS
1928

TABULA RERUM

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII ANNO 1926

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

INDICES GENERALIS TOTIUS VOLUMINIS

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII
ANNO 1926

COMMUNES SOCIETATIS NUNTII

I.

Dec. 1925-oct. 1926.

REVERENDI PATRES FRATRESQUE IN XTO. CARISSIMI:

P. XTI.

Suavissimum de rebus Societatis vos identidem alloquendi munus, absente P. Secretario, non equidem neglexi, sed impellentibus negotiis postponere coactus sum. Nunc vero, novo Societatis Secretario P. Iosepho Demaux-Lagrange renuntiato et gravioribus occupationibus satis superque distento, illud munus mihi deinceps ex officio commissum resumens, perpaucis multa complecti conabor ne vestram exspectationem diutius frustrari videar.

Beati Eucharistiae Martyres.

1. - Novos interea nacta est Societas caelestes Patronos, Beatos Iacobum Salesium et Gulielmum Saltamochium, quorum beatificatio nonnullis e Nostris, ut audivimus, inopinata prorsus accidit. Et sane praeter spem nec sine praesenti Dei auxilio factum est ut causa haec, cuius documenta tribus saeculis deperdita censebantur, hisce ultimis annis tam cito progredi potuerit, ut tandem ad felicem exitum brevissimo paucorum mensium spatio perduceretur. Nam, cum processus ordinarius de Servorum Dei martyrio, anno 1627 in dioecesi Vivariensi perfectus et Romam delatus, post varias vicissitudines in oblivionem penitus abiisset, nihil in hac causa fieri potuit usque dum mense novembri anni 1900 ille processus a P. Ferdinando Tournier (Prov. Lugdun.) Romae in archivo Status inventus est et a S. Rituum Congregatione approbatus alisque iuridicis investigationibus auctus. Causae dein Introductione, quam vocant, anno 1911 a Pio X signata, processus apostolici statim instrui potuerunt. Verum, ob multiplicitatem causarum Sacrae Rituum Congregationi, praesertim superiore anno, propositarum, vix sperare licebat

etiam hoc anno Societatem alios habituram esse Beatos. Sed ipsa huius causae aurea simplicitas, quae fere nullum disputationi praebebat locum, rem evicit et cum fere ad complementum Anni Sancti et pro centenariis S. Francisci et S. Aloisii sollemnitatibus quaedam beatificationes decernerentur celebrandae, haec prae aliis nostris selecta fuit. Post disceptationem igitur de validitate processuum eorumque approbationem die 23 iunii 1925 habitam, die 9 februarii huius anni Congregatio antepraeparatoria coacta est, quam praeparatoria die 23 martii et generalis coram Summo Pontifice die 11 maii secutae sunt. Dum haec agebantur bonus ille senex, P. Ferdinandus Tournier, cui maxima ex parte, ut supra innui, exitus huius causae debetur, die 18 aprilis Roma ad caelestem Beatorum Martyrum gloriam contemplandam, ut sperare licet, vocabatur, antequam terrenam eorum glorificationem tamdiu ab ipso optatam cernere posset; laetus tamen obiit auspicatissimi diei iam conspiciens auroram. Die vero 22 maii in pervigilio Pentecostes Beatissimus Pater sollemni decreto declaravit constare de martyrio Venerabilium Servorum Dei, quibus cum in documentis authenticis tum in Sanctitatis Suae sermonibus pulcherrimus semper tribuitur titulus " Martyrum Eucharistiae „ : in odium enim huius praesertim augustissimi mysterii die 7 februarii 1593 a Calvinianis Albenaci debacchantibus necati sunt. Edito autem, ipso die festo SS. Corporis Christi, decreto " de tuto „, proximo die dominico, 6 iunii, ritu alias vobis descripto, Venerabiles Martyres Beatorum fastis adiecti sunt. Advenerant e Provincia Lugdunensi, ad quam pertinent novensiles Beati, Praepositus Provincialis P. Ioannes Costa de Beauregard cum Socio P. Ioanne Bremond et P. Ludovicus Perroy; necnon, ut libentissime permiserat Pater Noster, Fr. Coad. Emmanuel Gilles, qui Fratrum Coadiutorum personam gereret eorumque nomine primos humili Fratri Beato Gulielmo Saltamochio honores praeberet.

Non est huius loci novorum Beatorum vitam utut breviter enarrare; hoc unum tamen meminisse liceat, quod Summus ipse Pontifex in suo sermone die 22 maii adnotavit: Beatos Martyres ad supremum holocaustum paratos accessisse, quia minoribus et etiam minimis sacrificiis se in vita religiosa fideliter et constanter exercuissent. Quod si una cum doctissimo theologiae magistro ac strenuo verbi Dei praecone, B. P. Iacobo Salesio, pari

veneratione nobis hodie colendus proponitur simplex ac paene rudis ianitor et sutor, B. Fr. Gulielmus Saltamochius, hoc novum decus Societas nostra referat oportet sapientissimo illi suarum legum praescripto, quod " regula socii ,, audit; nam hac una de causa Frater Gulielmus Patrem Salesium secutus est, ob eamque regulam sancte servandam aufugiendi occasionem sponte neglexit et, addito suae fidei testimonio, non minus Eucharistiae quam illius regulae martyr occubuit.

Beati Martyres Parisienses anni 1792.

2. – Gratum etiam vobis erit novisse Societati nuper attributos esse viginti tres e 191 Martyribus Parisiensibus, quos in odium fidei mense septembri anni 1792 impii Gallicae perturbationis ministri necarunt et Pius XI die 17 octobris huius anni inter Beatos adscripsit. Societas tunc, ut omnibus notum est, suppressa erat; sed omnes illi antiqui Iesuitae, nonnisi violenter ab amplexu amatissimae matris avulsi, Ignatiano spiritu imbuti passim agnoscebantur et genuini Societatis Iesu filii saltem corde esse perseverarunt; nec defuerunt qui ideo ab impiis studiosius prae aliis sacerdotibus impeterentur, quod Societatis Iesu quasi viventes reliquiae apparerent. Praecipui inter eos habebantur B. Claudius Franciscus Gagnières des Granges, BB. Petrus ed Franciscus Guérin du Rocher fratres germani, B. Gulielmus Delfaud, B. Iacobus Iulius Bonnaud vicarius generalis archiepiscopi Lugdunensis, B. Alexander Lanfant olim concionator et confessarius regius. Quatuordecim occisi sunt in conventu Carmelitarum, septem in Seminario Sancti Firmini, unus in abbatia Sancti Germani, unus in carcere " La Force ", diebus 2-5 septembris 1792: pertinuerant vero duo ad Provinciam Campaniae, quatuor ad Lugdunensem, sex ad Tolosanam, unus ad Provinciam Aquitaniae, reliqui decem ad Provinciam Franciae. Causa autem horum viginti trium " iam Societatis Iesu sodalium ,, , ut in documentis pontificiis vocantur, non a nobis acta est, sed a Curia Parisiensi aliisque Dioecesibus, per RR. DD. Franciscum Xaverium Hertzog Postulatorem, una cum causa aliorum 168 Martyrum; nos tamen ab eodem Postulatore rogati libenter causam adiuvimus, et ipso beatificationis die Pater Noster cum P. Assistente Galliae et

P. Gabriele de Boissieu Viceprovinciali Franciae aliisque, cum mane tum vespere, Societatis nomine in Basilica S. Petri adfuit. RR. vero Postulator, pro sua in Societatem eximia benevolentia, in eadem Basilica illo die statuam quoque S. P. Ignatii compluribus electricis luminibus circumdari iussit, ut in heroicis filiis etiam Pater honoraretur. Nec satis : nam, in sollemni triduo mox in templo S. Ludovici Francorum Regis habito, idem Postulator voluit ut e tribus oratoribus sacris unus esset de Societate, P. Petrus Lhande (Prov. Tolos.), ad id Lutetia Parisiorum Romam vocatus.

Centenarium SS. Aloisii et Stanislai.

3. – De festis actis vel agendis in honorem Sanctorum Nostrorum Iuvenum Aloisii et Stanislai supervacaneum videri potest ut ego vobis verba faciam, cum hac de re universam Societatem ipse Pater Noster saepe allocutus sit et tam multa hinc inde vobis referantur. Hoc unum addere liceat Summum Pontificem toto hoc anno, cum ante tum post pulcherrimam suam Epistolam Apostolicam " Singulare illud ", nullam fere occasionem praetermisisse quin S. Aloisium commemoraret: anni iubilaris initium coram Se, publica de re morali disputatione die 20 martii a R. D. Antonio Lanza Universitatis Gregorianae alumno instituta fieri voluit; in peregrinorum aliorumque coetuum receptionibus, in sermonibus quos post lecta decreta de causis beatificationis habere solet, in documentis ipsis pontificiis (v. g. in decretis de beatificatione B. Bartholomaeae Capitanio S. Aloisii cultricis et imitatricis insignis, in decretis de nostris Beatis Martyribus Albenacensibus etc.), quandocumque non omnino abs re erat, centenariae commemorationis Aloisianae semper meminit. Hisce quoque diebus, inter sacras ceras a Sanctitate Sua benedicendas, quae " Agnus Dei " vocantur quaeque a tergo imagines Sanctorum peculiari ratione tali anno commemorandorum referunt, una cum S. Francisco Assisiensi, S. Teresia a Iesu Infante, S. Helena, etiam S. Aloisium exprimendum curavit. Nec memoria indignum puto die 21 iunii, quamquam sacrum Consistorium habendum erat, praeter morem permisisse ut Emus. Card. Victorius Amedeus Ranuzzi de' Bianchi, a purpuratorum Patrum conventu sta-

tim discederet et Missam pontificalem in templo S. Ignatii eadem hora celebraret. Mense vero decembri, ut scitis, anniversarium canonizationis angelici iuventutis Patroni ipse Beatissimus Pater in Basilica Vaticana coram iuvenibus undique huc convenientibus magnificentissimo ritu est peracturus, qua occasione sacrum Aloisii caput, quod Castellione in nativo eius pago iamdiu colitur, Romam ad tempus deferetur. Has pretiosissimas reliquias veneraturi plurimi adolescentes superioribus mensibus Castellionem sunt peregrinati non modo ex finitimis regionibus, sed ex tota Italia, praesertim mense augusto exeunte, quando circiter 20.000 iuvenum, ut ferunt, illuc uno die adventarunt.

Fatendum sane est S. Stanislai memoriam extra Poloniae fines non eadem ac S. Aloisii magnificentia haberi posse. Sed amabilissimi inter Sanctos Confessores natu minimi profecto non obliviscuntur Nostri: nam, praeter domos probationis, in quibus, ut par est, Sanctus Novitius peculiari pietate piisque industriis certatim a tironibus colitur, alibi quoque et etiam ab externis cognoscendus et honorandus curatur. Romae autem coetus, cui E.mus Card. Camillus Laurenti praeest, coactus est ad festa paranda, modestiori quidem apparatu, sed perbelle cum Aloisianis ita consocianda, ut iuvenes Romanam peregrinationem inituri utrumque Sanctum adolescentem rite venerari possint. Nec defuit Stanislao Summi Pontificis obsequium: nam praeter quam quod, ut legistis, in Epistola Apostolica supra commemorata de seraphico Iuvene Polono honorificam mentionem facere voluit, sponte etiam ad eius sepulcrum mitti iussit magnum florum manipulum quem Ipsi, ut mos est, die beatificationis nostrorum Eucharistiae Martyrum obtuleramus. Et quoniam de Stanislai sepulcro incidit sermo, non abs re autumo vos certiores facere falsissime porsus huc illuc divulgatum esse de translatione quadam in Poloniam nuper facta: sacrum Stanislai corpus in templo S. Andreae Romae quiescit nec quispiam de eo transferendo cogitat. In Polonia quidem mense augusto, in magno Catholicorum Congressu Varsaviae habito, sollemnis ab omnibus civium classibus acta est S. Stanislai commemoratio, sacra etiam pompa deducta; sed reliquiae illae tunc magnificentissime delatae, in natali eius urbe iamdiu asservabantur. Nuper vero ab illius nationis gubernio

praescriptum legimus ut proximo die 13 novembris omnes scholae in tota Polonia hoc anno vacent.

De Missionibus.

4. — Sacer Missionum zelus secundum genuinum nostri Instituti spiritum, Deo favente, ubique magis magisque exardescit. Provinciae Austriae et Hungariae suos quosdam in Sinas mittere coeperunt, ubi cum Missionariis Provinciae Campaniae in Vicariatu de Sien-hsien apostolicis laboribus se exercent. Provincia Hiberniae, ex desiderio Sanctae Sedis, mox Collegium inchoabit in urbe Hong-Kong, quod postea novae forte Missionis initium erit. Provinciae item Romana et Columbiana ad Sinas oculos suos converterunt: in auxilium Missionum Taurinensis et Castellanae quosdam iam nunc mittendos curant, non sine spe propriam deinde constituendi Missionem. Etiam Viceprovincia Brasiliae Centralis, etsi Sociorum numero exigua, inter infideles interioris Brasiliae incolas Missionem proprie dictam habere vehementer cupit et diligenter inquirit. Provincia vero Germaniae Superioris evangelicos operarios parat pro Missione Poonensi sibi iterum concredenda.

Ad nostrarum Missionum notitiam evulgandam, sicut in conventu missionario ante annum optatum est, mox prodibit magna earundem Missionum charta a P. Iosepho Verschueren (Prov. Belg.) depicta, quae in domibus nostris et praesertim in Collegiis loco aliquo externis quoque obvio parietibus affixa, eloquens omnibus erit documentum de intensa Societatis vita missionaria, quod quidem generosos iuvenum animos ad nostrum Institutum amplectendum multum profecto alliciet. Ad futuros vero Missionarios melius efformandos, ut in memorato Missionum conventu proponebatur, iam coepit Pater Noster de eorum studiis ordinandis aliquid decernere: ordinationem dico pro Missionibus Sinensibus editam, quam in proximis " Actis Romanis " legetis (1), cuius principia quaedam ad alias quoque Missiones, secundum rerum adiuncta, applicari poterunt.

Verum, non modo curat Societas suas provehere Missiones, sed quando sibi vires non iam suppetere cernit, alios sibi auxiliares accire non refugit. Ita nuper libentissime excepti sunt Re-

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 563-564.

ligiosi SS. Trinitatis in Missione Tananarivensi in insula Madecassensi, Religiosi Crucigeri in Vicariatu Apostolico Bataviae, Salesiani in Archidioecesi Calcuttensi aliique alibi. Sed praecipue secundum Ecclesiae monita, semper pro viribus promovetur cleri indigenae institutio, nec sine fructu: nam, praeter dioeceses Mangalorensem et Tuticorinensem anno 1923 clero indigenae a nobis transmissas, etiam in Sinis nuper e nostra Missione Nankinensi detractus est novus Vicariatus Apostolicus Haimensis clero item indigenae concredendus, cui tamen hac prima vice praeficitur unus e Nostris, R. P. Simon Tsu (Prov. Franc.), in urbe Shanghai anno 1868 ortus, qui hisce diebus, dum vobis haec scribo, Romae adest et die 28 octobris ab ipso Summo Pontifice in Basilica Vaticana, una cum aliis quinque Sinensibus, Episcopus titularis Lesbitanus sollemni ritu consecratus est. — Nec forte praetereundum, decreto Patris Nostri die 25 februarii lato, primum regularem Superiorem Missionis indigenam esse constitutum, R. P. Aloisium Coelho (Prov. Ven.) Missionis Mangalorensis; quod ostendit Societatis spiritum, Deo favente, apprime consentaneum esse cum Sanctae Sedis mente, quae paulo post, Litteris Encyclicis " Rerum Ecclesiae ", omnibus clarissime patuit.

De rebus orientalibus.

5. — Ut vobis forte notum est, R. P. Michael d'Herbigny (Prov. Camp.) aliquoties in Russiam petere potuit, sed ad breve tempus et potius ad catholicorum ibi degentium solatium, quam ad Ecclesiae catholicae angustias levandas. Ad paternum animum erga miseros illos filios ostendendum Beatissimus Pater voluit ut idem R. P. d'Herbigny episcopali charactere cum Iliensis ecclesiae titulo insigniretur; atque ita die Assumptionis B. M. V., Moscoviae media in urbe in templo S. Ludovici Regis, coram plurimis rei novitatem mirantibus et prae gaudio gestientibus catholicis, pontificali ritu Sacrum fecit et sacro chrismate multos inunxit; sed paulo post Russiam relinquere coactus est et Romam redire, ubi Instituto Orientali praeesse perseverabit. Dum haec fiunt, Romae et Parisiis apud Russiae legatos agebatur de obtinenda venia ut quidam alii e Nostris in Russiam ingrederentur. Negotiationes diu protractae, tandem mense septembri

ad finem deducebantur, et die 12 octobris, Summi Pontificis et Patris Nostri benedictione suffulti, P. Iosephus Schweigl (Prov. Austr.), Superior designatus, et P. Iosephus Ledit (Prov. Calif.) Roma Odessam versus profecti sunt, ut catholicos variis ministeriis et etiam, si fieri poterit, ad futuros clericos instituendos adiuvent. Res, ut vos ipsi bene cernitis, aleatoria est et periculis plena, ideoque nostris orationibus valde indiget sustentari.

De Russia item bene mereri non desinit P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl. - N. E.), qui hoc anno a Sancta Sede munus accepit moderandi distributionem subsidiorum, quae a variis operibus in America iamdiu institutis pro proximo Oriente, ut aiunt, colliguntur.

Pontificium Institutum Orientale, Societati concreditum, his ipsis diebus a sede Instituti Biblici iterum seiungetur et in aliam Urbis partem transmigrabit; in antiquo enim monasterio S. Antonii Abbatis prope Basilicam S. Mariae Maioris ex Sanctae Sedis munificentia aptiorem locum invenit. Eius praeses, etiam in posterum, ut dixi, erit RR. DD. Michael d'Herbigny.

Missio Albertynensis ritus orientalis, lente quidem, sed gradatim, P. Wlodimiro Piatkiewicz (Prov. Pol. Mai. et Maz.) Superiore, evolvitur: parva domus probationis inchoata est non sine solida bonarum vocationum spe. Hanc Missionem magni facit Summus Pontifex eamque paterna sollicitudine prosequitur, ut denuo nuper cum Patre Nostro colloquens ostendit.

Novae Provinciae et Provinciarum Missionumque visitationes.

6. — Die festo S. P. N. Ignatii promulgatum est decretum die 2 iulii datum, quo Regio Novae Angliae, ab aliquot annis propria Viceprovincialis administratione gaudens, a Provincia Marylandiae–Neo Eboracensi separata, in Provinciam erigebatur.

Eodem die 31 iulii Pater Noster decreto subscripsit, die tamen 15 augusti promulgando, quo Provincia Poloniae in duas Provincias dividebatur, quarum altera Poloniae Maioris et Mazoviae, altera Poloniae Minoris nomen accepit: illius Praepositus Varsaviae, huius Cracoviae residet. Paulo ante divisionem Provinciae magnum Collegium Bobolanum pro auditoribus theologiae utriusque futurae Provinciae Lublini exstructum sollemni

ritu inaugurabatur. Nostrorum laetitiam auxit praesentia complurium Episcoporum, inter quos aderat novus Poloniae Primas, RR. DD. Augustus Hlond, e Congregatione Salesianorum, archiepiscopus electus Gneznensis et Poznaniensis, qui novo aedificio benedixit. Ipse Beatissimus Pater per Emum. Cardinalem Secretarium Status hoc, quod exscribo, telegrammate gratulationes misit:

" Monsignor Lauri Nuntio Apostolico. — Varsaviam. — Augustus Pontifex nuntio de Collegio Bobolano praesentibus Emo. Cardinali Kakowski (1) et Excellentissimis Episcopis proxime inaugurando summa cum laetitia accepto, ut hoc novum institutum iuventuti clericali virtutibus heroicis Beati Andreae Bobolae informandae allaboret, necnon ad fidem catholicam dilatandam ad unionem ecclesiarum dissidentium promovendam, ad triumphum Regni pacifici Iesu Christi agendum strenue cooperetur apprecari atque ex corde Benedictionem Apostolicam impertire dignatus est. — Card. Gasparri ".

E Provinciarum Missionumque visitationibus in proxima mea epistola commemoratis quaedam tunc inchoatae in hunc annum productae sunt, ut trium Missionum Indicarum visitatio R. P. Ferdinando Willaert, Provinciae Belgicae Praeposito, commissa, et visitatio Provinciae Baeticae a R. P. Henrico Carvajal instituta. Hic, munere Secretarii Societatis solutas, Provinciam Toletanam visitare nuper coepit. In Missione Kwangensi Provinciae Belgicae visitator nunc versatur R. P. Eugenius Thibaut eiusdem Provinciae. In Sinas die 24 septembris simul solverunt RR. PP. Felix Mollat, Praepositus Provinciae Franciae, et Iosephus Subtil (Prov. Camp.), hic Missionem de Sien-hsien, ille Nankinensem visitaturus. In Americam vero Septentrionalem exeunte mense april profectus est ibique ad medium usque octobrem mansit R. P. Aemilius Mattern, Americae Assistens, non quidem visitationem Provinciarum instituturus, sed ad quaedam negotia cum Praepositis Provincialibus coram agitanda; qua tamen occasione etiam praecipuas suae Assistentiae domos invisit. Interfuit quoque Patris Nostri nomine magno Congressui Eucaristico Chicagiensi, cui apparando nonnulli ex Nostris plurimum contulerunt, prae-

(1) Adesse promiserat, sed non potuit.

sertim ope Apostolatus Orationis qui in illis regionibus maxime floret, prout gaudens suis ipse oculis vidit illius sodalitatis Moderator generalis delegatus, P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.), qui tunc Americam adierat. Ipse Emus. Cardinalis Georgius Mundelein, Chicagiensis Archiepiscopus, P. Carolo Mullaly (Prov. Maryl.-N. E.), Nuntii SS. Cordis in America moderatori, dicere non est dedignatus: " Tu et ego multum pro hoc Congressu laboravimus; nos plantavimus et semen iecimus, Deus incrementum dabit „.

Nuntii quidam domestici.

7. — Ad domestica autem ut propius veniamus, inter plurimos illustres viros qui Patrem Nostrum inviserunt, tres peculiari de causa memorandi videntur. Mense ianuario Exmus. Dnus. Padikhara Mudaligar Silva Wijayasinghe Serivardehe, princeps catholicus indigena insulae Ceylon, Patrem Nostrum convenit Societati gratias acturus ob magnum suis civibus spirituale bonum a Nostris praestitum. — Mense iulio, Illmus. Dnus. Commend. Iosephus Lo-pa-hong, fervidus rei catholicae in Sinis patronus et zelator, non modo Patrem Nostrum, ut alias quandocumque Romam venerat, invisit, sed ei Sacrum facienti inservire voluit ab eiusque manibus SS. Eucharistiam sumere. — Celeberrimus demum Generalis Humbertus Nobile, qui polum borealem aereo navigio a se constructo transvolavit, Patri Nostro coram gratias acturus venit: antequam enim periculosum iter arriperet ab ipso acceperat chartam geographicam Alaskae et epistolam commendatitiam ut a Patribus Missionariis illius regionis comiter exciperetur, et, quod pluris est, centum Missas pro eius incolumitate. Adfuit igitur domi nostrae insignis ille aeronauta et Patri Nostro plurimas referens grates obtulit osseam coronam marialem ab indigenis Alaskanis confectam, quam ei Patres Missionarii in signum filialis obsequii amantissimo Praeposito tradendam commiserant. Non ita pridem Summum quoque Pontificem adierat idem Generalis Nobile et simile quoddam illorum Missionariorum munusculum obtulerat, quod Beatissimus Pater ita gratum habuit, ut dein Patri Nostro suis Ipse manibus tradiderit numismata

quaedam Missionariis indigenisque artificibus Sanctitatis Suae nomine transmittenda.

Pridie diei 24 iulii, quo die, ut scitis, S. Wlodimiri regis festum colitur, R. P. Assistens Germaniae (cum R. P. Italiae Assistens tunc Roma abesset), communitatis vota et omina Patri Nostro offerens, pulcherrimum Neerlandicae Provinciae usum commemoravit, quem, utpote optimum filialis pietatis obsequium et donum Patri Nostro gratissimum, hic praetermittere nolo: assolet igitur in illa Provincia (et in quibusdam aliis idem fieri audivimus) publice ad mensam tale festum pridie nuntiari et communem Patrem orationibus Nostrorum commendari.

Die 31 iulii Summus Pontifex Patrem Nostrum ad Se vocavit et benevolentissime allocutus, ipsi et Societati S. P. Ignatii festum gratulatus est. " Alias,–ait–, idem festum simul transegimus „ ; et cum Pater Noster rem miraretur nec meminisset quando et ubinam, Beatissimus Pater ei in memoriam revocavit Se ante sexdecim annos Feldkirchii illo die adfuisse quando ipse Germaniae Assistens illam domum inviseret. Post haec enixe rogavit ut Societas Seminarium regionale Catacense (Catanzaro) in Calabria a Pio X nuncupatum moderandum susciperet. Difficultates vero minim leves adducente Patre Nostro, Summus Pontifex: " Ne mihi deneges, – inquit, – Pater mi, rem quam ideo ipso die S. P. Ignatii proponere volui ne recusare possis; multum oravi hodie mane S. Ignatium ut Pater Generalis bonum responsum det; spem meam ne fallas! „. Quis talibus Christi Vicarii verbis resistere potuisset? Mox Praepositus Provinciae Neapolitanae Romam vocatus hoc negotium cum S. Congregatione de Seminariis et cum Patre Nostro ita composuit, ut medio mense septembri quatuor e Nostris illud Seminarium, pristinis moderatoribus recedentibus, susceperint. — Ita nunc tria huiusmodi Seminaria Societas moderatur: nam praeter Seminarium regionale Campanum Neapoli situm quod iamdiu administramus, etiam nostrum Pontificium Collegium Anagninum (Prov. Rom.) pro Seminario regionali totius Latii meridionalis habendum esse Sancta Sedes nuper decrevit.

De festo D. N. Iesu Christi Regis.

8. – Plura dicenda supersunt, sed, ne longior sim, ad aliam proximam epistolam remitto. Cum autem huic subscribam ipso die quo primum in Ecclesia celebratur sollemne festum D. N. Iesu Christi Regis, humili simul et grato erga Deum animo meminisse iuvabit non spernendum Nostrorum et praesertim Apostolatus Orationis laborem ad hoc festum vere triumphale parandum non parum contulisse. Quod quidem a Summo Christi Regis in terris Vicario diserte affirmatum legistis in Apostolicis Litteris " Cum praeterito „ die 13 martii datis, quibus Indulgentia plenaria illo festo quotannis lucranda conceditur omnibus Apostolatus Orationis sodalibus. Iuvat hic pulcherrimum illud testimonium ad communem nostram consolationem exscribere:

" ... Nos autem probe noscentes promerita Piae Unionis " praefatae, quae, iam ab anno MDCCCXLIV constituta, conti- " nenter ad nostra usque tempora socialis Iesu Christi regni quo- " quo pacto provehendi apud populos nationesque sibi finem pe- " culiarem proposuit, et a Decessoribus Nostris pluries gratiis " spiritualibus, quibus instructa magis magisque sancta proposita " attingere valeret, locupletata est, hisce supplicationibus adnuen- " dum ultro libenterque existimavimus, idque etiam sive ut fru- " giferi ipsius Operis bono consulamus, sive ut Presbyteris e " Societate Iesu, quibus idem concreditum est, gratificemur, qui " Orationis Apostolatus atque eiusdem inceptorum incremento " operam studiumque suum alacriter navat .... „.

Tanto praeconio dignos nos usque faciat Rex noster dulcissimus!

Commendo me vestris SS. SS. et orationibus.

Romae, die festo D. N. Iesu Christi Regis, 31 octobris 1926.

Vestrum omnium servus in Xto.
HILARIUS AZZOLINI
Subsecret. Soc. Iesu.

II.

Oct.-dec. 1926.

REVERENDI PATRES FRATPESQUE IN XTO. CARISSIMI:
P. XTI.

Tot tantaque sunt quae in honorem SS. Aloisii et Stanislai Romae nuper peracta sunt festa, ut ab iis potius quam a nuntiis superiore epistola praetermissis initium facere vix non coactus videar. Complura sane iam vobis innotuerunt, sed non ingratum erit hic omnia simul collecta invenire ea quae minutatim et forte minus accurate ad vos relata sunt.

Adolescentium peregrinationes.

1. — Patris Nostri hortationibus magna profecto alacritate respondit Societas: vix enim eius litterae, die 8 septembris datae, ad Provincias et domos pervenerant, cum ingens ubique fervor exarsit in parandis quamplurimorum iuvenum peregrinationibus Romam deducendis. Difficultates haud parvae, quas ipse Pater Noster optime persenserat, strenue superatae sunt, ita ut, quod in litteris illis optabatur, fere " nulla gens, nullus populus huic vere catholico conventui „ defuerit, nam triginta omnino nationes aderant; hae autem sunt, alphabetico ordine recensitae: Anglia, Austria, Bavaria, Belgium, Brasilia, Canada, Cechoslovachia, Chilum, Columbia, Dania, Gallia, Germania, Helvetia, Hibernia, Hispania, Hollandia, Hungaria, Italia, Japonia, Java, Jugoslavia, Lithuania, Lusitania, Melita, Mexicum, Peruvia, Polonia, Sinae, Status Foederati Americae Septentrionalis et etiam una ex tribubus indigenis Americanis. Ad Societatis vero Provincias et Viceprovincias quod attinet, omnes, una forte alterave ex magis longinquis ob temporis defectum excepta, aliquos saltem ex suis alumnis miserunt, et nonnullae praeterea ex Missionibus. Numerus autem si quaeratur, tria circiter millia illis diebus Romam advenerunt, qui numerus, hiemali tempore aliisque rerum rationibus

bene perpensis, ingens sane dici potest. Primas partes hac in re, praeter Italiam, cui brevius et facilius patebat iter, obtinuit Hispania, quae, duce E.mo Card. Francisco Vidal y Barraquer Archiepiscopo Tarraconensi, plus quingentos peregrinantes misit; deinde Germania, Polonia, Austria, Bavaria, Hollandia, Gallia et ita porro. Ex Gallia tamen multo plures tempore paschali Romam venturos esse iam nunc scimus.

Sed, potius quam numerus, adventantium qualitas perpendatur oportet: ad cineres namque Sancti iuventutis Patroni non suo tantum nomine venerabundus quisque accedebat, verum etiam vota et promissiones afferens plurimorum aliorum adolescentium, quorum personam saltem tacite susceperat gerendam. Hoc suorum aequalium partes agendi munus plane manifestum erat in iis non paucis, praesertim ex America Septentrionali et Gallia, qui non sua sponte aut parentum vel Superiorum suasionibus commoti peregrinationi nomen dederant, sed alumnorum votis electi et alicubi etiam illorum pecunia instructi, Collegii vel Sodalitatis suae vere deputati habendi erant. Poloni autem hoc eximium christianae fraternitatis specimen praebuerunt, quod pro viginti iuvenibus opificibus itineris expensas solverunt, ut ii quoque apud sacras Stanislai et Aloisii exuvias pauperioris iuventae personam agerent. Ad eundem finem Gubernium Hungaricum ex publico aerario duobus adolescentibus Romanum iter comparavit; item sex iuvenum sumptus toleravit excellentissimus Reipublicae Peruvianae Praeses.

Festorum apparatus et initia.

2. — Quod mense iunio, ut superioribus litteris memini, in templo S. P. Ignatii ad honorem S. Aloisii factum erat, hoc fere idem, modestiori licet forma, medio mense novembri, in templo S. Andreae ad Quirinalem ad honorem S. Stanislai actum est, novendiali supplicatione praemissa et sollemnioribus caeremoniis eius festo celebrato. Sermonem habuit Eminentissimus Card. Camillus Laurenti, Sacrae Congregationi de Religiosis Praefectus. Exc.mus Poloniae Legatus cum suis administris mane Missae ex officio adstitit, et vespere in ipsa Legationis sede nonnullos Cardinales, complures Praelatos, Patrem Nostrum, aliosque claros viros bene

multos munifice recepit. Sub finem vero decembris, peregrini Poloni, qui omnium primi Romam advenerant, in eodem S. Andreae templo, praesente E.mo Card. Alexandro Kakowski, Varsaviensi Archiepiscopo, triduanos honores Sancto suo civi praebuere, ad eiusque sepulcrum argenteum lilium et aureum cor appenderunt; ac primo novi anni die una cum aliis peregrinis ibidem sollemnem gratiarum actionem ob Seraphici Novitii centenarium Deo obtulerunt.

Interea amplissimum nostrum S. P. Ignatii templum, ubi apud S. Aloisii cineres praecipuae centenariae commemorationis sollemnitates peragendae sunt, apte paratur: sacellum praesertim Angelico Iuveni dicatum, plurimis micans lampadibus aliisque ornamentis perbelle refulgens, caelestem Aloisii gloriam aliquo modo adumbrare videtur. In ara principe vero uterque Sanctus, Aloisius et Stanislaus, ingenti pictura pari honore colendus proponitur. Magnus etiam templi fornix, in quo clarissimus noster Frater Andreas Pozzo ante tria saecula Ignatii Patris triumphum miro artificio expressit, scita reflexae lucis effusione intuentibus vel apprime peritis admirationem movebat. Mediam autem templi frontem, quae postremo festivitatum die sub noctem sexcentis faculis splendebat, haec ornabat P. Laurentii Rocci (Prov. Rom.) inscriptio:

VENERATUROS OSSA ET CINERES

ALOISII GONZAGA – STANISLAI KOSTKA

IUVENES ROMAM UNDIQUE CONVENIENTES
DOCEANT SUPERNI IUVENTUTIS PATRONI
QUANAM IN CAELIS CORONA FULGEANT
QUI TERRENIS DELICIIS REIECTIS
ITER SPINIS CONSITUM
CASTIS FLORESCENS LILIIS
DIVINI SOLIS LUMINE ILLUSTRATUM
FORTITER CONSTANTER GENEROSE TENUERE.

Octiduanas conciones praeparatorias a die 12 ad 19 decembris habuere PP. Octavius Marchetti, Carolus Miccinelli, Galilaeus Venturini (Prov. Rom.), quorum duo priores, more in Urbem a Nostris olim inducto et Romanis valde grato, chri-

stianas veritates Aloisii exemplis opportune allatis per modum diverbii docebant populum, qui deinde tertium quoque concionatorem intentis auribus audiebat.

Die vero 18 decembris, in aula magna antiqui Collegii Romani laicus quidam professor coram compluribus suis collegis et civilium scholarum alumnis Angelicum Iuvenem pio disertoque eloquio commemoravit; in illius, inquam, Collegii Romani aula, quae, postquam Societas inde discedere coacta est, huiusmodi pios sermones audire sane non solebat.

Ut autem Sanctis Fratribus ne domesticum quidem obsequium deesset, Scholastici in Universitate Gregoriana philosophiae ac theologiae auditores, die 26 decembris, coram E.mis Cardinalibus Billot et Ehrle et compluribus aliis Nostris ex omnibus Romanis domibus illuc convenientibus, necnon Collegiorum ecclesiasticorum Superioribus sive saecularibus sive regularibus, brevem Academiam in honorem utriusque Angelici Iuvenis habuerunt.

Sacrum Aloisii caput Romam delatum.

3. — Dies tandem illuxit optatissimus, quo sacrum Aloisii caput, ante tria saecula Castellionem ad eius natale oppidum delatum, in Urbem, etsi ad breve tempus, afferendum erat. Castellione Mantuam evectum, ibique, non sine magno spirituali animarum fructu, integram hebdomadam totius civitatis et dioecesis veneratione cultum, sacrum illud caput, quod magnifica urna argentea inclusum et aurea corona redimitum per cristalla facile cerni potest, die 26 decembris vespere e Mantuana Cathedrali ecclesia ad peculiarem viae ferreae currum sacelli instar ornatum, quem ipse gubernii dux gratuito ad id commodari iusserat, inter pia plaudentis populi agmina detulit RR. DD. Ioannes Bapt. Peruzzo e Congregatione Passionistarum, Episcopus tit. Euroeensis idemque Mantuanus Auxiliaris, qui fidelissimus pretiosi huius depositi custos et cultor eximius Romam illud comitari debebat. Simul cum Episcopo, complures peregrini e Mantuana dioecesi, ad quam natale Aloisii oppidum pertinet, aliisque ex finitimis civitatibus Romanum iter ingressi sunt; itemque P. Iosephus Folli, qui Sanctum Sodalem nomine Provinciae Romanae salutaturus eo se contulerat; in eodem vero curru, in quo colenda cal-

va vehebatur, honorarias agebant excubias duo Hierosolymitani Equites duoque pueri hispanicis epheborum vestimentis induti. Dum pium agmen concitato cursu versus Urbem traducitur, plerisque locis ingentes populorum turbae praeeuntibus curionibus, altam quoque noctem contemnentes, apud viam ferream venerabundae adstant, Angelico iuventutis Patrono hymnos concinentes et fervido cum plausu acclamantes.

Die 27 decembris, hora decima matutina, ad sacrum Aloisii caput excipiendum convenerant Reverendissimi Domini Iosephus Palica Philippensis Archiepiscopus et Vicarii Urbis Vicesgerens, Richardus de Samper et Camillus Caccia Dominioni, Palatii Apostolici alter, alter Cubiculi Secreti Praefectus, atque alii Episcopi, Praelati, Patricii clarissimique viri bene multi, inter quos unus e Gonzagae familiae principibus, atque e Nostris cum e Curia Societatis tum ex aliis Romanis domibus non pauci. Sacrum pondus e curru demissum libentes subeunt Mariani quidam Sodales illudque in propinquum nostrum Collegium " Massimo „ pia pompa deducunt, ubi peregrini Poloni Angelicum Sancti Stanislai Fratrem fraterna laetitia tubarum et cornuum concentu salutant, et pios adstantium sensus brevi sermone interpretatus est P. Iosephus Massaruti (Prov. Rom.). Quantus alumnorum aliorumque fidelium paucis illis horis, quibus sacrae reliquiae ibi manserunt, fuerit concursus, non equidem dicam, cum facile quivis id coniicere possit et me maiora maneant enarranda.

Vespere hora quarta Aloisianum caput, RR. DD. Michaeli d'Herbigny S. I. Iliensi Episcopo commissum, inter magnam civium multitudinem a militibus vix constrictam, comitantibus ducentis circiter automobilibus curribus, in quibus praeter plurimos alios illustres viros aderat etiam novus Urbis gubernator Ludovicus princeps Potenziani Spada, lento gradu a Collegio " Massimo „ usque ad templum S. Ignatii per vias olim ab Angelico Iuvene calcatas rheda floribus ornata evehitur. Coram antiqua probationis domo ad Sancti Andreae paululum constitit pia pompa ut Stanislaus et Aloisius fraternum sibi invicem obsequium praestarent. Cum autem ad vetustum Collegium Romanum perventum est, tres nolae, quae ab anno 1871, quo Societas inde expulsa est, pro festis religiosis mutae exstiterant, laeto concentu sanctum Collegii

Romani Alumnum et Patronum rursus salutare coeperunt. Sacra lipsana ibi e curru demissa exceperunt plus mille Universitatis Gregorianae alumni et Lectores, praeeunte RR. DD. Iosepho Palica Archiepiscopo tit. Philippensi et Urbis Vicarii Vicesgerente, eaque sollemniter delata sunt in templum S. Ignatii, ad cuius fores venerabundi adstabant Emi. Cardinales Ludovicus Billot S. I., Camillus Laurenti, Franciscus Ehrle S. I. aliique complures Episcopi et Praelati et plurima fidelium turba, quos omnes sacras reliquias in templum comitatos brevi sermone allocutus est R. P. Iosephus Filograssi, Provinciae Romanae Praepositus. Tribus, qui secuti sunt, festis diebus, S. Aloisii caput ad eius altare expositum ingens multitudo invisit, innumeraeque Missae ibi celebratae ac sacrae Communiones distributae sunt. Prope aram Aloisianam interim quiescunt, si meministis, etiam ossa B. Roberti Bellarmino, qui proinde amatissimi sui spiritualis alumni iterum visus est et sanctitatem testari et magnificae gloriae particeps fieri.

Primo triduanae festivitatis die, 28 decembris, iuventuti Romanae praecipue reservato, convenerunt mane plurimi scholarum Urbis tam privatarum quam publicarum alumni et " Aloisianum pactum „ post Missam simul nuncupantes Angelico Patrono debitum praebuere obsequium. – Altero die, 29 decembris, persollemni quadam academia in ipso S. Ignatii templo suam item exhibuerunt venerationem iuvenes qui undique Romam convenerant. Aderant novem Emi. Cardinales, Episcopi et Praelati bene multi, omnes fere iuvenes peregrini per nationes distributi, e quibus unus ex singulis nationibus nativa lingua pauca verba faciebat: cum delegatus Mexicanus e suggestu apparuit, omnes heroicae illi nationi pro fide catholica nunc tam strenue dimicanti sponte plauserunt. Unitatem simul et universalitatem Ecclesiae omnes intime persenserunt quando, media in concione, assurgentibus cunctis uno ore unaque lingua latina unicam Fidem per Symbolum Apostolicum professi sunt. Polyglottam hanc quatuordecim linguarum academiam Palestrinianis concentibus identidem interpositis R.mus D. Raphael Casimiri cum suis celeberrimis cantoribus perbelle recreabat: ceterum omnes sacros cantus per hos dies idem praeclarus Magister cum sua schola habuit. - Tertio die, 30 decembris, Missam pontificali ritu mul-

toque adstante clero celebravit Emus. Card. Basilius Pompilj, Urbis Vicarius idemque Aloisiani Coetus Praeses.

Singulis autem diebus post meridiem peculiaris caeremonia habebatur pro puellis aliisque feminis, quae alio tempore in templo ceteroquin amplissimo aptum locum vix invenissent. Vespere vero post sacrum sermonem (1), Emus. quidam Cardinalis eucharisticam benedictionem sollemni ritu impertiebat. – Ultimo festorum die, 31 decembris, post nuncupatam ab omnibus simul christianae vitae promissionem seu " pactum Aloisianum ", eiusdem promissionis formulas ab innumeris adolescentibus subscriptas et Romam delatas selecti e singulis nationibus iuvenes suorum aequalium personam gerentes ad Sancti Aloisii sepulcrum per manus RR. DD. Michaelis d'Herbigny deposuerunt. Praeter formulas bene multas sero transmissas, quae in libros compingi nequiverunt, aliasque plurimas, quae nondum pervenerunt sed certo certius in ingentem numerum succrescent, sexaginta circiter numerantur regesta, quibus forte decies centena millia nominum continentur; inter quae nomen celsissimi Principis Alphonsi Hispaniarum regni heredis et duorum ipsius consobrinorum Matritensis Congregationis Marianae sodalium. Iure igitur post haec ab universa iuvenili multitudine Ignatianum templum stipante, praecinente Emo. Cardinali Urbis Vicario, hymnus eucharisticus " Te Deum " pleno ore decantari coepit, quo plurimae Deo referrentur grates " caelestium donorum distributori " et " etiam in tenera aetate maturae sanctitatis gratiam " conferenti.

In aedibus Vaticanis et Basilica S. Petri.

4. – Verum, tot adolescentium animi hisce festivitatibus, utut piis sollemnibusque, haud contenti esse potuissent, nisi communis Patris obtutibus et hortamentis fuissent recreati. Et hoc spirituali gaudio iis copiose frui licuit. Nam die 30 decembris mane Summus Pontifex in aula Benedictionis privatum Sacrum, adhibita Missa propria S. Stanislai, pro ipsis operatus est, et paulo post meridiem universam iuvenilem phalangem in suis ae-

(1) Sanctorum Aloisii et Stanislai laudes hac occasione pro suggestu dixerunt P. Pius Ciuti O. P., P. Galilaeus Venturini (Prov. Rom.), RR. DD. Ioannes Bapt. Peruzzo Episcopus auxiliaris Mantuanus.

dibus excepit: quatuor circiter millia numerabantur (clerici enim aliique iuvenes bene multi Romae degentes suis quisque civibus peregrinis sese adiunxerant) ex triginta nationibus supra recensitis. Beatissimus Pater, Patre Nostro comitante, varias aulas et ambulacra, quibus ingens illa iuvenilis turba distributa erat, pertransiit omnibus peramanter benedicens singulisque dexteram porrigens deosculandam. Notarunt multi Eum, ut olim Christum Dominum, pueros natu minimos peculiari quadam benevolentia allocutum esse; cum vero ad Mexicanorum iuvenum manipulum pervenit, petasum e capite auferens largo gestu et veluti obsequens, heroicam illam nationem tam dire pro fide vexatam salutavit. Convenerunt deinde omnes in magnam Benedictionis aulam, ubi prope Summi Pontificis thronum libri, quos supra memoravi, promissionem Aloisianam cum subscriptionibus innumeris continentes, prostabant. Sanctitas Sua P. Carolum Miccinelli (Prov. Rom.), cui magna ex parte debetur magnificus horum festorum exitus, quidnam rei hoc esset explicantem attente audivit, et libros libenter utut cursim volutavit. Throno demum assidens pulcherrimum habuit latinum sermonem, quem huic epistolae adnexum legere poteritis (1).

Illo ipso die vespere, sanctum Aloisii caput e templo Ignatiano ad Basilicam Vaticanam delatum est: mens erat privatim et sine pompa id praestare, ideoque nullo fere automobilium comitatu sacra lipsana per Urbem transierunt, non sine tamen reverenti civium obsequio. Sed statim ac, Tiberi flumine transacto, ad vias Basilicam prospicientes ventum est, magna populi multitudo occurrit, in laetos plausus prorumpens. Noctis tenebras iam occidentes, praeter consueta luminaria, dissipabant complures cerei et intorticia ac bengalenses quas vocant faces. Argenteam urnam e curru demissam quatuor ex Ordine Carmelitarum novensiles diaconi, in proximo conventu S. Mariae Transpontinae degentes, sustulerunt et inter cleri populique cantus per viam " Borgo Nuovo „ tapetibus floribusque ornatam et luminibus micantem ad Basilicam Vaticanam detulerunt. Venerandum depositum ad Sancti Petri fores ab Emo. Archipresbytero Card. Raphaele Merry del Val cum RR. Basilicae Canonicis exceptum est et ad Altare dontificium super Principis Apostolorum sepulcro collocatum.

(1) V. infra, pp. 559–562.

Sequenti die, 31 decembris, plurimis iam summo mane ad Vaticanam Basilicam confluentibus, iuvenibus praesertim ingenti animorum laetitia Altaris Papalis latera stipantibus, maximus Angelico Iuveni triumphus parabatur. Summus ipse Pontifex, ut alias non semel vobis dictum est, bis centenariam S. Aloisii memoriam pontificali ritu illa die celebrare statuerat; et revera Sancti iuventutis Patroni festum tum praecipue agi omnes senserunt, quamquam Missa adhibita est D. N. Iesu Christi Regis, addita etiam S. Francisci Assisinatis commemoratione. Beatissimus Pater toto suae Curiae splendore circumdatus, duobus supra viginti Cardinalibus et quinquaginta Episcopis infulatis praeeuntibus, eodem fere comitatu ingressus est iisdemque fere caeremoniis Sacrum fecit ac pro Sanctorum canonizationibus fieri solet. Post Missam hymno " Te Deum " decantato, Summus Pontifex tiara redimitus et sellam gestatoriam iterum conscendens paternam benedictionem dilectissimis filiis tam peramanter et quasi eos amplectens impertivit, ut iuvenilia pectora grati animi sensus continere nequiverint, et tota illa adolescentium multitudo in ingentes plausus et insolitas filialis pietatis significationes suo quisque nativo sermone prorupit. Nec eos fugit quod tunc casu quidem sed perbelle accidit: fulgidus enim solis radius ex adversa fenestra auream tiaram percutiens et benedicentem Patrem totum circumfulgens piam filiorum laetitiam mirum in modum fovit et sacrum eorum ardorem in immensum auxit. Ceterum aeris tempestas omnibus fere illis diebus pulcherrima fuit et rutilus sol verno veluti tepore splendidaque luce Urbem eiusque visitatores recreavit.

Aliquos iuvenum manipulos, ut Gallos, Mexicanos, Columbianos, Peruvianos, proximis diebus ad privatum quoque colloquium Summus Pontifex admisit et mira benignitate est allocutus; eorum etiam munera gratissima habuit, ut nuperrime, dum vobis haec scribo, Ipse testari dignatus est per Cardinalem Secretarium Status, cuius epistolam Pater Noster vobiscum communicavit. Idem Cardinalis Secretarius Status, nomine Sanctitatis Suae, recta gratias egit P. Emmanueli M. Vergés (Prov. Arag.) ob copiosam Petrianam stipem a Sodalibus Marianis Barcinonensibus Beatissimo Patri allatam.

Apud Patrem Nostrum.

5. – Post communem Christifidelium Patrem, supremum quoque Societatis Moderatorem invisere iure avebant Nostri nostrorumque operum sodales et alumni. Quos omnes libentissime excepit Pater Noster, eosque secundum nationes ad se statis diebus et horis (Patres quidem fere omnes ad privatum colloquium, alumni vero turmatim) convenientes opportunis hortationibus, ipsorum saepe lingua usus, muniebat et aloisiano numismate donabat. Pulcherrimum sane spectaculum et genuino Societatis spiritui apprime consonum! Tot tamque variae adolescentium phalanges unius veluti familiae membra se esse profitebantur et communem suorum Moderatorum Patrem velut proprium quoque Parentem ingenua quadam pietate agnoscebant. Non omnes animi sui sensus musicis concentibus, ut Poloni, exprimere potuerunt; fere omnes tamen Patrem Nostrum piis cantibus salutabant, quidam etiam munuscula obtulerunt, inter quae duo calices memorandi sunt a Germanicis iuvenibus dono dati.

Hos ipsos Germanicos iuvenes aliosque eadem lingua utentes, peculiari conventu coadunatos, adiit Pater Noster eosque de Sancto Aloisio allocutus est. Aliis quoque similibus conventibus (inter quos peculiarem mentionem merentur cum ille qui in honorem Mexicanorum est habitus, tum academiae et ab Hispanis et a Brasiliensibus Marianis Sodalibus in Collegio Pio Latino Americano peractae), quandocumque ei licuit, adesse curavit, ut Societatis amorem erga dilectos iuvenes sibi commissos coram ostenderet. Et certe praesenti ope eum adiuvisse dicendi sunt Sancti nostri Fratres, ut tanto labore non modo non opprimeretur, sed meliore ex tunc valetudine uti visus sit.

Postremi honores et ab Urbe discessus.

6. – Ut perbelle notaverat Summus Pontifex Mantuanos peregrinos alloquens, haec alma Urbs, quae omnium ditissima est sacris Reliquiis quaeque venerandos huiusmodi thesauros regali cum munificentia ceteris orbis civitatibus saepe donare consuevit, hac vice se ditiorem utut ad breve tempus effectam esse persensit et fassa est, adeo sacrum Aloisii caput obsequiis et honoribus

cumulavit. Etiam post statos festivitatum dies, multus fuit civium et peregrinorum concursus tam kalendis ianuariis in templo S. Ignatii quam postridie vespere in templo SS. Nominis Iesu, quo tunc sacra lipsana delata erant. Mane vero eiusdem diei 2 ianuarii in ipso S. Ignatii templo centum circiter officiales, inter quos sex generales, ac mille et quingenti milites, praeeunte et rem sacram faciente RR. DD. Camillo Panizzardi Ordinario Castrensi, nomine etiam totius italici exercitus, Angelico Principi venerationem praestiterunt simulque contra horrendum blasphemiae facinus debitam divino Nomini reparationem praebuere.

Demum die 3 ianuarii, postquam tota nocte coram Aloisianis Reliquiis sodales Sancti Pauli ab opere Cardinalis Ferrari nuncupati sacras vigilias peregerant, ex Pontificia Universitate Gregoriana, paulo ante matutinas scholas, adstantibus cum Patre Nostro omnibus Lectoribus et Magistris ac venerabundis concinentibusque alumnis, sacrum Aloisii caput privato cuidam currui impositum, RR. DD. Io. B. Peruzzo Episcopo auxiliari Mantuano et P. Benedicto Bondi (Prov. Rom.) comitantibus, ad viam ferream indeque Senas versus deducitur.

Nam non recto itinere ad nativum pagum redibit, sed varias per Italiae Septentrionalis urbes triumphantis instar pertransiens, catholicam illarum regionum iuventutem ad christianam perfectionem sectandam magnifico suo exemplo allecturus speratur. De his sacri capitis itineribus alias vobis breviter referam.

Festa Aloisiana alibi peracta.

7. - Nunc autem, ut rem expleam quam incepi, enarranda mihi essent etiam quaedam ex iis quae alibi in honorem S. Aloisii gesta sunt, Nostris plerumque promotoribus aut saltem adiuvantibus. Sed vos ipsi optime persentitis me vel sola festorum enumeratione infinitum propemodum esse futurum, et si quid peculiari memoria dignum omittam, facile ignoscetis. Ut perpauca tantum attingam, Treviris in magno inventutis catholicae conventu superiore aestate coadunato, tria adolescentium millia Angelicum suum Patronum devotis obsequiis prosecuti sunt. Monachii, in urbe Bavariae principe, piae quaedam ludimagistrae non minus centum millia Sancti Iuvenis imaginum in vulgus

sparserunt ad animos pro futuris festis suaviter parandos. In Indiis, curante P. Aloisio M. Ambruzzi (Miss. Mangal., Prov. Ven.), peculiaris ephemeris " *The Aloisian* „ edi coepit, quae etiam post festa centenaria ad iuvenes pietate imbuendos continuari posse speratur. In Columbia, praesertim Bogotae, magnis apparatibus et academiis, et Baranquillae etiam pompa per urbem deducta, Aloisianum centenarium celebratum est. Similia ad nos referuntur cum Scodra in Albania, ubi Praeses Reipublicae, etsi mahumetanus, non exigua erogata pecunia festivam celebrationem adiuvit, tum ex duobus Collegiis, quae Societas habet Antuerpiae (Anvers) in Belgio. Matriti vero mense novembri insignis habitus est in honorem Sancti Aloisii Sodalitatum Marianarum et totius iuventutis conventus in maximo urbis theatro adstantibus Regiae Familiae Principibus ac Cardinali Hispaniae Primate aliisque multis primae notae viris. Eodem fere tempore, item in Hispania, duo millia Marianorum Sodalium Catalauniae, post festa sollemnia Barcinone celebrata, sacrum Montem Serratum – a S. Aloisio olim visitatum – conscenderunt, unde devotum Patri Nostro telegramma ab ipso Cardinali Tarraconensi Archiepiscopo Francisco Vidal y Barraquer datum est (1). Matritensibus et Catalaunis praecesserant Sodales Vascones et Navarrini, quorum septem millia mense octobri Loyolae aderant, quo melius ignatiano spiritu imbuti (quemadmodum telegrammate ad Patrem Nostrum misso testati sunt) Angelicum Patronum celebrarent seque strenuos Christi et Mariae milites probarent (2). Etiam Dertusae (Tortosa) duo millia iuvenum in honorem S. Aloisii tota plaudente urbe convenerunt et magna suae pietatis argumenta praebuere.

---

(1) *En hispanus telegrammatis textus:*

" Dos mil Congregantes Marianos presididos Prelados Tarragona, Urgel, Tortosa reunidos en santa montaña Montserrat consagrada presencia San Luis para celebrar centenario Canonización renuevan testimonio veneración y adhesión vuestra Paternidad Director Congregaciones Marianas. — Cardenal Vidal y Barraquer.

(2) *En huius telegrammatis textus:*

" 7000 Congregantes Marianos Vasco Navarros reunidos Loyola llenarse espíritu Ignaciano celebrar fiestas Angélico Patrón ofrécense sucesor Ignacio Loyola soldados valientes huestes Marianas. — Obispo Pamplona y Provincial Castilla.

Sed de huiusmodi conventibus aliisque Aloisianis festis ubique cum ingenti spirituali fructu peractis in proximis " Memorabilium S. I. „ fasciculis plura enarranda curabimus.

Benevolentiae testimonia erga Societatem.

8. – Ad alias res ut tandem convertamus, ab ipsa Hispania initium sumere possumus. Nam digna profecto est quae recolatur insignis erga Societatem benevolentia a Catholico Rege Alphonso exhibita : domum enim nostram Loyolaeam (Prov. Castell.) cum Regina et comitatu die 20 septembris sponte invisere dignatus est, Patresque ac tirones benignissime allocutus; die vero 23 octobris Dertusanum nostrum Observatorium astronomicum ac geophysicum (Tortosa, Prov. Arag.) cum filiabus suis visitavit, et Patribus Richardo Cirera, Aloisio Rodés, Iosepho Algué, de scientia astronomica tam bene meritis, gratulationes multas dixit.

Inter viros primarios laicos, quos superioribus litteris Patrem Nostrum adiisse memini (nam Episcopos et Cardinales huc venientes recensere longum est), adnumerandus fuisset etiam Excell.mus Fakhry Pacha, Aegypti Regis gener et in illa natione apprime potens. Hic semel atque iterum Patrem Nostrum mense ianuario anni 1926 invisit et se Societati intime gratum profitebatur, quod ab ea in Collegio Cairensi educationem accepisset. Dum Romae erat, non modo Summum Pontificem adiit, sed etiam ad S. P. Ignatii sepulcrum, etsi mahumetanus, in grati animi signum se contulit. Eiusdem benevolentiae non dubia testimonia nobis etiam nuper praebuit alter ex Aegyptianis proceribus, Ziwer Pacha, regius minister, qui epistolam a Patre Nostro sibi datam tanti fecit, ut Superiori Residentiae Alexandrinae (Prov. Lugdun.) affirmaverit se id pro magno beneficio habere easque litteras diligenter esse custoditurum.

P. Hippolyto Delehaye (Prov. Belg.), ante aliquot menses annum quinquagesimum ab inita Societate celebranti, non modo a Belgarum Rege aliisque civibus magni tributi sunt honores, sed etiam Summus Pontifex clarissimique exteri eruditi viri et ipsum, in litterarum republica bene notum, et giganteum

Bollandistarum opus, cui nunc praeest, magnis laudibus prosecuti sunt.

In America, cum P. Ioannes Wynne (Prov. Maryl. - N. E.) die 30 iulii superioris anni 1926 item quinquagesimum vitae religiosae ageret annum, a Catholica Universitate Washingtonensi doctor theologiae honoris causa creatus est, Summo quoque Pontifice ei gratulante et benedicente, ob insignia eius de catholica religione merita, praesertim ob indefessam in magno opere " The Catholic Encyclopedia „ edendo collatam curam.

Nec praetereundum aliud peculiaris aestimationis signum erga Societatem a quodam professore protestante Chicagi exhibitum: petiit namque hic, qui philosophiam in scholis publicis docebat, ut, aliis scholasticis libris postpositis, nostrum philosophiae textum suis discipulis tradere posset; quod, quantum in nobis fuit, ultro concessum est.

In Italia autem, in novo scholastico regimine a Gubernio inducto, inter opera paedagogica in elenchum officialem pro scholis quas normales vocant inserta et futurorum magistrorum studio commendata, nostra " Ratio Studiorum „ honorificum locum obtinet.

Et quoniam de studiis et doctoratibus incidit sermo, singularem quandam lauream commemorandam ducimus: P. Arthurus Day (Prov. Angl.) de Iudaeis Londini degentibus, nonnullis etiam ad catholicam fidem reductis, tam bene meruit, ut hebraicae communitatis duces eum " Rabbi „ ad honorem nominare non dubitaverint!

Cum, ob exiguas Provinciae Austriae vires, unam e duabus Residentiis Viennae iamdiu constitutis supprimere cogitaremus, cumque capitalis sententia, omnibus perpensis, in Residentiam *Am Hof* vix non iam lata esset, innumeri propemodum Societatis amici aliique summae auctoritatis viri, inter quos cuiusdam nationis legatus, sex generales, quadraginta consiliarii aulici aut officiales, tres Universitatis professores, complures catholici scriptores, illius Residentiae existentiam tanto cum animi ardore tamque validis rationibus defenderunt, ut, accedente quoque E.mi Cardinalis Archiepiscopi intercessione, Pater Noster ab exsequendo consilio abstinendum esse duxerit.

Aliam occasionem nacti sunt Austriaci catholici ad suam de-

Societate aestimationem ostendendam, mortem inquam P. Henrici Abel (Prov. Austr.) triginta quinque annos veri Vienniensium virorum apostoli, cuius nomen sane longum in aevum in benedictione erit. Ei, die 23 novembris aetatis anno 83 Viennae vita functo, ipse Emus. Card. Archiepiscopus Gustavus Fridericus Piffl, sollemni Missa de requie in metropolitano templo celebrata, parentare voluit, eumque ad sepulcrum, ingenti civium multitudine vias stipante, cum selecta 10.000 virorum turba (inter quos 300 sacerdotes) aliorum plurimorum personam gerentium, comitatus est.

Similem quandam populi commotionem excitaverat in Hispania mors P. Tiburtii Arnáiz (Prov. Baet.), qui Malagae die 18 iulii obiit aetatis anno 62, Societatis 25. Fuerat hic zelantissimus vineae Domini operarius, Missionibus potissimum popularibus in sua regione tradendis applicatus. Tota Malagensis civitas ad eius cadaver venerandum accurrit et, Episcopo praeeunte, instanter petiit, quod a Gubernio statim concessum est, ut in nostro templo potius quam in communi caemeterio sepeliretur. Eius exsequiis, adstantibus urbis magistratibus, ipse Episcopus praefuit, qui orationem in laudem defuncti non sine lacrimis habere voluit; resque a Patre adhibitae quasi pro reliquiis in frusta discerpi et piae populi aviditati distribui debuerunt.

Societatis eiusque operum incrementum.

9. – Non omnes adhuc ad nos pervenerunt Provinciarum catalogi, sed Sociorum augmentum superiore anno 1926 extraordinarium sane fuisse iam nunc constat: nam, si tres excipias quae paulisper diminutae sunt et duas quae eundem numerum servarunt, aliae omnes Provinciae non modo incrementum aliquod habuerunt, sed pleraeque etiam ultra spem, ita ut, cum augmentum, hodie cognitum, sit non minus 488, cumque reliquas quatuor Provincias, quarum desideratur catalogus, et ipsas crevisse sciamus, numerum 20.000 certo certius superavimus. Quod cum Summus Pontifex nuper a Patre Nostro audisset, vehementer gavisus est et universae Societati paterna benevolentia benedictionem apostolicam ex toto corde impertivit. Verum, Deo profecto gratias amplissimas agentes, etiam nunc evangelicum illud meminerimus oportet: " Messis quidem multa, operarii

autem pauci. Rogate ergo Dominum messis ut mittat operarios in messem suam „.

Et sane undique nobis expetuntur operarii, nec omnibus satis fieri potest ; in America Meridionali praesertim plurimum nobis adlaborandum esset, si homines suppeterent. Quaedam tamen melioris aevi indicia habentur : Provincia Columbiana quadraginta duos Novitios habet, nova Viceprovincia Brasiliae Meridionalis optimis vocationibus florescit, duae item probationis domus Provinciae Argentino-Chilenae bonam spem faciunt. Immensum huius Provinciae territorium nova domo eaque optatissima nuper ornatum est: potuit enim Societas, hoc ipso anno ineunte, flagitante Episcopo et Sancta Sede hortante, in Paraquariam tandem redire, ubi tot tantaeque nostrorum Patrum memoriae nos vocabant. Sed hic felicissimus reditus, qui superiore anno evangelicis excursionibus paratus fuerat, meretur profecto longiorem enarrationem, quam ad " Memorabilia „ anni 1927 remittimus. Etiam in ipsa Argentina Republica, religiosa pace restituta, Societatis aestimatio in dies crescit. Missiones populares in pagis circa metropolim superioribus mensibus a Nostris peractae ingentem fructum tulerunt. Mensibus iulio et augusto scientificos simul et apologeticos sermones multis locis, etiam in facultatibus universitariis, magna cum laude habuit P. Iosephus Antonius Laburu (Prov. Castell.), qui ex Hispania ad id, nec facile dixeris quanta cum rei catholicae utilitate, illuc vocatus erat. Novus vero Bonaerensis Archiepiscopus, RR. DD. Iosephus Bottaro O. F. M., suae erga Societatem benevolentiae signa statim post suam nominationem dare coepit : nam, ut unum commemorem, die festo S. Alphonsi Rodriguez morem a suo Praedecessore inductum resumere voluit et ad nostrum templum Missam pro Fratribus Coadiutoribus celebraturus se contulit et deinde domesticae mensae cum Nostris benignissime accubuit. — De Provincia Mexicana, post ea quae vobis mense novembri relata sunt, nihil fere certi scimus, praeterquam quod alter e Nostris in carcerem detrusus est, morte, ut videbatur, multandus ; sed deinde in exsilium pulsus est. RR. vero DD. Paschalis Diaz S. I. Episcopus Tabasquensis, de quo saepe publicae ephemerides loquuntur, in urbe Mexico primum relegatus, deinde in Guatemalam eiectus,

inde in Status Foederatos se recepit et mox Romam venturus dicitur.

Ab America ut in Europam redeamus, novum ministeriorum genus, omnibus plaudentibus, coeptum est Monachii in Bavaria (Prov. Germ. Sup.): Dominicis festisque diebus quidam e Nostris summo mane, id est ab hora 3 ad 4 $^1|_2$ in statione viae ferreae aliquo cubiculo apte disposito, Missas brevi etiam Evangelii explicatione addita ex ordine celebrant, adstantibus compluribus iter facturis et viae ferreae administris, qui secus festivum praeceptum facile omitterent.

In Anglia, catholicis maiore in dies libertate donatis, externas quoque per urbem pompas deducere alicubi ausi sunt Nostri, admirantibus etiam Anglicanis: sic, verbi gratia, in urbe Accrington die 29 iunii plus mille catholici pio agmine per urbanas vias incesserunt et in publico foro simul cum illis decem millia Protestantium aliquem e Nostris de SS. Corde Iesu verba facientem intentis auribus audierunt.

Sed inter omnia Nostrorum ministeria Exercitia Spiritualia, Deo favente, ubique primum locum obtinent. In Vice Provincia Brasiliae Centralis nunc primum Exercitia clausa pro pueris felicissimo exitu coepta sunt. Mensibus iulio et augusto, in domo s' Heerenberg (Prov. Germ. Inf.) Exercitia spiritualia per mensem tradita sunt viginti duobus ex utroque clero sacerdotibus, inter quos quatuor Franciscani, quatuor Capuccini aliique religiosi viri, praesertim Novitiorum Magistri, numerabantur. Idem fere factum est Tisis in domo Exercitiorum prope Feldkirch (Prov. Germ. Sup.); Comillis vero (Prov. Legion.) pro solis antiquis illius Seminarii Pontificii alumnis, e quibus decem hac prima vice convenerunt. Quanti momenti sit pro sanctificatione cleri haec spiritualis recollectionis copia alicubi felici experientia constat, ut in Provincia Taurinensi, ubi haec praxis in domibus Exercitiorum Genuensi et Taurinensi, opera praesertim P. Petri C. Martini, a multis iam annis viget.

Tanail in Syria (Prov. Lugdun.) mense novembri Exell.mus DD. Cyrillus Mogabgad, Patriarcha catholicus Antiochenus Graeco-Melchitarum, cum undecim RR. Episcopis sui ritus et duobus Secretariis in domum nostram se receperunt ibique septem integros dies, silentio religiose servato, Exercitiis spiritualibus, a

P. Aloisio Malouf secundum S. P. Ignatii methodum traditis, summa cum omnium aedificatione vacarunt, et deinde tribus sequentibus diebus in eadem nostra domo, in sacram Synodum rite coadunati, de suarum ecclesiarum negotiis egerunt.

Ne eadem, utut pulcherrima, pluries repetam, omittere cogor quae ex variis Exercitiorum domibus referuntur, praesertim ex Provinciis Campaniae, Belgica, Neerlandiae, Franciae, Hiberniae, Missouriana, Neo Aurelianensi; quae tamen suum in nostris annalibus opportuniorem locum invenient.

Cum Exercitiis affinitatem quandam habent secessus menstrui aut trimestres, qui a clero praesertim, Nostris saepe moderantibus, passim frequentantur. Hoc salutare pietatis exercitium communius in dies fit, et Societatis opera plurimis locis expetitur, maxime in Gallia, in Italia, in Polonia, in Germania, in Hispania, in Belgio. In hac natione v. gr. unus P. Georgius Hoornaert (Prov. Belg.) ultimo superioris anni trimestri huiusmodi secessus 1056 sacerdotibus tradidit, totidemque trimestri praecedenti. In Gallia vero, hoc ministerium tanti fit ut integras Dioeceses Nostri fere sine mora peragrare debeant; nam saepe tota secessuum series Nostris committitur, ut v. gr. in dioecesi Petricoricensi intra fines Provinciae Tolosanae et in quibusdam dioecesibus in Provincia Lugdunensi.

De Missionibus.

10. – Superioribus litteris memini episcopalem consecrationem die 28 octobris a Summo Pontifice in Basilica S. Petri collatam sex Sinensibus Episcopis, inter quos R. P. Simoni Tsu (Prov. Franc.). Toto eorum in Urbe commorationis tempore omnimodis honoribus et reverentiae significationibus a cunctis civium ordinibus cumulati sunt, ne dicam oppressi. Inter alia, gratissima illis fuit academia ab alumnis Universitatis Gregorianae in templo S. Ignatii die 5 novembris celebrata, qua, sacris cantibus interpositis, undetriginta alumni sua quisque lingua neo-praesulibus perbrevi salutatione gratulabantur (1). Nomine Episcoporum gra-

(1) Undetriginta linguae tunc usurpatae, ordine alphabetico recensitae, hae sunt: Anglica, arabica, armorica (*breton*), armeniaca, bohemica, catalaunica, gallaica, gallica, germanica, hibernica, hispanica, hungarica, italica, konkani (una ex

tias egit RR. DD. Celsus Costantini, Delegatus Apostolicus in Sinis idemque Archiepiscopus titul. Theodosianus, Universitatis Gregorianae olim alumnus. Antequam ab Universitate discederent P. Rector oblationem cuiusdam ignoti benefactoris singulis Episcopis porrexit, bina libellarum millia.

RR. DD. Tsu nostras domos et Collegia sive Romae sive Tusculi invisit et Nostros ac alumnos amore erga Missiones inflammavit. Etiam in aliis Italiae Provinciis et in Gallia et Belgio debito cum honore exceptus, non sine magno ubique apostolici zeli incrementi, de Sinis earumque spiritualibus necessitatibus verba fecit. Tandem, die 12 ianuarii, una cum P. Iacobo Morrissey, primo e Provincia Romana ad Sinensem missionem destinato, e portu Le Havre in Americam indeque Sinas solvit.

Mens erat in Vicariatu de Wuhu in Sinis parvum Seminarium inchoare; at nuper ad nos relatum est magnam perturbationem et bella civilia in tota illa immensa Republica continenter grassantia ad eam quoque Missionem pertigisse et forte non modo Seminarium aperiri non potuit, sed etiam timendum est ne alia Missionis opera pessumdata sint. Huc usque tamen de Missionariorum incolumitate non malos nuntios audivimus.

Duo Nostri quos alias dixi in Russiam esse profectos, unam tantum alteramve hebdomadam ibi commorari potuerunt, et a Sovietis expulsi redire coacti sunt.

Missio Iamaicensis, inopinata morte RR. DD. Gulielmi O'Hare S. I. (Prov. Nov. Angl.) suo Vicario Apostolico orbata est. Is, die 11 octobris, dum ex medicorum praescripto maritimis balneis utebatur, paralisi cardiaca correptus, e mari domum mortuus delatus est.

In Iaponia, mense octobri, apertum est monumentum marmoreum, quod buddistae praesertim et protestantes prope Yamaguci erigendum curarunt in honorem S. Francisci Xaverii, utpote qui primus europaeam civilitatem in Iaponiam introduxerit et de Iaponia notitiam diffuderit: suo scilicet modo erga magnum Iaponiae Apostolum venerationem et gratum animum ostendentes!

---

linguis indicis), lectonica, liburna (una ex linguis iugoslavicis), lituana, lusitana, maya (una ex linguis mexicanis), neerlandica, pampango (una ex linguis philippinis), polona, quechua (una ex linguis peruvianis), romanica, slovena, tarasco (una ex linguis mexicanis), turcica, ucraina, vasconica.

Ad Missionem Iaponicam lato quodam sensu pertinet id quod pro emigratis Iaponensibus variis locis fit. Cum hi, ob legem in Statibus Foederatis ad numerum emigrantium valde minuendum latam, ad Americam Latinam et Insulas Philippinas nunc potius se convertant, Sancta Sedes, Nostrorum operam pro Iaponensibus in Peruvia praesertim florentem dilaudans, Patrem Nostrum rogavit ut in aliis quoque regionibus Iaponensium curam quantum fieri poterit suscipiamus, quod Pater Noster pro viribus se curaturum promisit. Secretariatus pro emigratis in ipsa Iaponia mox constituendus speratur, qui ipsos emigratos ante discessum apte instruat et ad Nostros in America aut in Philippinis designatos dirigat.

Iam nunc in Brasilia coeptum est tam salutare opus. In urbe S. Pauli P. Guido Del Toro (V. Prov. Bras. Centr.) quinquaginta pueros et puellas Iaponenses catholicam fidem tam bene docuerat ut die 15 novembris a Vicario generali archidioecesis omnes sacro baptismate ablui potuerint. Quod cum resciverit dives quidam agricola ex Iaponia oriundus, longo itinere Paulopolim se contulit enixe petiturus ut aliquis e Nostris secum iret ad evangelizandas sexaginta Iaponensium familias, quae catholicam fidem amplecti cupiunt. Certe magnus etiam ibi nobis aperitur campus, eo magis quod Protestantes nos praevenire satagunt, quamvis Iapones ad Ecclesiam catholicam potius quam ad protestanticas sectas se inclinent: faxit Deus ut nobis suppetant vires!

Die 15 augusti in Collegio Maximo Traiectensi ad Mosam (Prov. Neerl.) sacro presbyteratus ordine initiatus est primus sacerdos ex indigenis insulae Iavae, P. Franciscus Satiman S. I.

Ceterum plura vobis de Missionibus deinceps referent " Nuntii de Missionibus „ qui a nostro Secretariatu edi nuper coeperunt.

A nuntiis huius anni 1927 enarrandis, nisi ceterorum velut complementum viderentur, data opera abstinui, ut haec epistola anno 1926 commemorando circumscribatur, reliquis ad sequentes litteras remissis.

Commendo me vestris ss. SS. et OO.

Romae, die 15 februarii 1927.

Vestrum omnium servus in Xto.
Hilarius Azzolini
Subsecr. Soc. Iesu.

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

QUAEDAM PECULIARI RATIONE MEMORANDA

I.

ALLOCUTIO SUMMI PONTIFICIS

AD PEREGRINOS ALOISIANOS (1)

30 DECEMBRIS 1926.

Ne miremini, dilectissimi iuvenes, — dilectissimi in universa familia quam Cor Iesu Nobis credidit gubernandam — si tam vehementer gaudemus, dum vos uno veluti animi et oculorum obtutu coram complectimur. Etenim tam pulchra Nobis visa est lectissima haec filiorum multitudo ut libenter verba antiqui Patris Isaac usurpemus ita dicentis: " *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni cui benedixit Deus* „.

Libentius etiam pulcherrima illa verba vobis e corde dicimus: " *Salvete flores* „ flores gentium, flores primae aetatis; et quodam etiam vero sensu dicimus: " *Salvete, flores Martyrum* „. Vos alloquimur in primis et vos in primis salvere iubemus, qui e longinqua Mexicana terra ad Nos venistis, filii martyrum et fortes martyres ipsi. Vobis honor et vestrae regioni, vestris Episcopis et pastoribus, vestris presbyteris, vestris omnibus qui tam gloriosum certamen perferunt admirante universo Orbe pro honore Dei, pro Regno Christi, pro honore Sanctae Matris Ecclesiae, pro dignitate et salute animarum.

Salvete, filii et fratres Martyrum: vosque salutationes Nostras cum Benedictionum nostrarum quasi primitiis vobiscum afferatis, ad terras vestras cum proxime redibitis.

Salvete et vos, dilectissimi, qui e Polonia advenistis, quos Romam non solum lilia Aloisii vocaverunt, sed arcessivit etiam

(1) Ex " Osservatore Romano „ 3-4 ian. 1927. — Cfr. etiam supra, pag. 544.

parvulus ille et innocentissimus Stanislaus, Beniamin ille adolescentulorum Sanctorum.

Salvete vos omnes, et vos in primis qui e longinquo venistis. Pensamus sane haud mediocria incommoda, quae suscepistis ut Romam veniretis visuri Patrem, tantam prae vobis ferentes pulchritudinem et animae et vitae, ut digne habeamini flores et florentes spes futuri aevi. Carissimi denique quia ab Aloisio vocati venistis, ipsa enim praesentia vestra animum vestrum declaratis et ostenditis quo, praeclaris Gonzagae exemplis adducti, nitamini. Ipsa Nobis vestra praesentia confirmat id quod vos Sancto Aloisio, itinera suscepturi, dixistis: " *Trahe nos, in odorem curremus unguentorum tuorum !* „.

Iterum igitur atque iterum salvere vos iubemus.

Ita exorsus Beatissimus Pater ad significandam animi Sui laetitiam procedit, quod adolescentium filiorum conspicua et numerosa corona sibi obverset, quam non potest non hortari ad eam virtutem colendam quae propria est ei et qua ipsius angelicum exemplar maxime effulsit, atque in haec verba prorupit:

Puritatem amate, iuvenilis aetatis decus et ornamentum, qua quidem praesente virtutes omnes vigent, absente autem omnes nutant et periclitantur. Puritatem, inquimus, diligite; in hac enim virtute invenietis pretiosissima omnia quae ad vitam et ad perfectionem in quolibet statu necessaria sunt. Alit puritas lumen mentis, generositatem cordis, vigorem animi ipsiusque corporis sanitatem.

Pretiosissima sane virtus, sed tamen servatu maxime difficilis. Et in primis ut puritatem studiosiore in dies animo servetis, a Deo id suppliciter petite, illud Sapientiae recolentes, neminem posse esse continentem nisi Deus dederit. Gratia enim Dei omnino necessaria est ut puritas conservetur; hoc vestris mentibus altissime inhaereat. Orate igitur ut hanc gratiam assequamini. *Petite et accipietis:* orationi praemia certissima promissa sunt.

Orate et vigilate. Vigilate et orate. Oratio enim vobis concciliat quod solius Dei est, auxilium nempe humanis viribus, vel potius humanae infirmitati necessarium. Vestrae autem vigilantiae erit custodire puritatem ab omni offensione et periculo.

Quanam vero custodia? Omnimoda, dilectissimi. Custodia externa, quia in mundo vita vestra traducitur, mundus autem plenus est fascinatione nugacitatis; qua quidem fascinatio, Divino

admonente Spiritu, obscurat bona et inconstantia concupiscentiae transvertit sensum sine malitia.

Custodite igitur vos a mundo, qui incredibili quadam vi vos allicit; hanc autem is seductionem inducit, quae potest viribus vestris fortior evadere. Custodite vos a mundo, custodientes sensus externos et animi intima ita ut omnia munda sint, in primis ea quae homines non vident, sed Deus intuetur.

Hic breviter ea innuit quae ad hanc custodiam conferunt et contrarias insidias arcent, inter quae laborem reponit, laborem mentis et laborem corporis; deinde humilitatem proponens ita locutus est:

Sed alia est etiam perutilis virtus ad servandam puritatem, humilitas nempe, quia nonnisi humiles Deus diligit. Nisi enim humilitas vobis semper adsit, nec vos necessitatem divini illius adiutorii sentietis neque necessitatem illius custodiae ad castitatem servandam, quia superbus non sentit pericula, non sentit insufficientiam sui; itaque non solum cadit, sed in ruinam collabitur. Quare exemplum ab Aloisio sumite qui in tanta ubertate et copia divinorum donorum, tum naturae tum gratiae, cum posset in saeculo inter primos splendescere, maluit omnibus rebus se abdicare et abscondi et nesciri.

Orationi igitur et vigilantiae et humilitati instate. Unum restat ad perfectionem vitae vestrae: caritatem sequi. Caritatem igitur a Deo exposcite toto corde, caritatem illam qua Cor Iesu exarsit, actuosam et generosam. Hoc est verbum quod vobis meditandum credimus: Ponite quodammodo puritatem vestram sub veste caritatis.

Ita Aloisius facere solitus erat, caritati toto vitae tempore deditissimus. Et quomodo ille occubuit, nisi vitam suam ponens ad subveniendum fratribus misere aegrotantibus, victima perillustris caritatis?

Haec, dilectissimi filii, veluti e plenitudine cordis Nostri in corda vestra deponimus et vobis committimus. Haec custodite et haec facientes semper digni eritis qui dicamini discipuli Sancti Aloisii Gonzagae. Haec in vita vestra, in plenitudine iuventutis vestrae, in ipso aetatis flore cogitasse et voluisse dulcissime quondam memineritis in reliquo cursu vitae vestrae, quam unicuique vestrum splendidissimam, Deo favente, exoptamus.

Haec autem ex animo ominantes, Benedictionem illam imper-

timus quam vos omnes cupitis quotquot huc ad paternam domum, dilectissimi filii, advenistis.

Benedictionem Nostram damus ex imo corde in primis vobis omnibus qui praesentes estis; deinde omnibus filiis Nostris iisdemque fratribus vestris quos in longinquis consociationibus, institutionibus et congregationibus vestris, sub gloriosis vexillis vestris collectos, vos spiritu comitati sunt et quos vos digne coram Nobis repraesentatis.

Descendat Benedictio Nostra in regiones omnes unde venistis, in patrias vestras, in civitates, in familias et parentes vestros, in opera vestra et labores. Et si quos habetis in domibus vestris infantes parvulos Cordi Iesu in primis dilectos, si quos habetis senes aut infirmos, pro suo ipsorum dolore peculiari benedictione et consolatione dignos, iis omnibus amantissime benedicimus. Benedictio autem Nostra, vota omnia complectens quae unusquisque vestrum in corde et in mente sua fovet, super vos descendat, vobiscum semper maneat, vos semper per omnes vias vitae vestrae una cum divinis benedictionibus comitetur.

II.

DE SOCIETATIS OPERA IN NOVO FESTO CHRISTI REGIS INSTITUENDO (1).

Multum contulit Societas ad Christi Regis festum instituendum. Nam opus " Apostolatus Orationis „ nuncupatus, ad hunc finem assequendum ac porro magis magisque dilatandum iam a suis ipsis primordiis est constitutum et directum. Hoc innuebat iam eius tessera : " Adveniat regnum tuum „ ; hoc semper intenderunt Patres ad id deputati, scriptisque periodicis omnibus fere linguis hanc splendidam ideam primo suscitarunt, dein aluerunt, postremo ad plenum triumphum haud parum contulerunt.

Primi promotores.

Inter multos autem Patres de Christo *Rege* optime meritos, hi praecipui digni sunt qui nominentur :

1. P. Henricus Ramière (1821-1884), e Prov. Tolos., qui Apostolatum Orationis in mundum diffudit ac primas familias et communitates ab anno 1889 SS. Cordi consecravit, plures eosque perpetuos sui exempli imitatores relinquens, tot vocibus clamans quot "Nuntii SS. Cordis" post primum ab eo emissum, surrexerunt. Scripta eius duo volumina conficiunt titulo : " *Le Règne social du Sacré-Cœur* „.

2. P. Victor Drevon (1820-1880), e Prov. Lugdun. - Hic, Domino Alexio de Sarachaga comite et adiutore, Paredii, in urbe SS. Cordis, " Societati Regni Socialis Christi Iesu „ initium fecit, quae postea in multas nationes diffusa est. Quantum autem hoc ad propositum contulerit vel ipsum nomen manifestat : scriptis vero et operibus praecipue in Congressibus Eucharisticis memorata Sodalitas multum valuit.

3. P. Ioannes M. Sanna Solaro (1824-1908), e Prov. Taurin. - Duorum praecedentium studium hic in Italiam transtulit. Periodicum " *Il Regno di Gesù Cristo* „ quinquennio (1890-95)

---

(1) Cfr. supra, pag. 536.

edidit, ac primum et primus de festo liturgico instituendo cogitavit: cum Summo Pontifice Leone XIII, adspirante E.mo Card. Lucido M. Parocchi, de eo egit; Missam et Officium parata anno 1900 obtulit: imagines, Christum Regem referentes, in populum sparsit; litteras postulatorias complurium Cardinalium, inter quos Eminentissimi Iosephus Sarto (Pius X futurus), Andreas Ferrari, Augustinus Richelmy, Dominicus Svampa eminebant, multorumque Episcoporum, ex longinqua etiam America, ut darentur effecit.

Recentiores conatus et felix exitus.

Negotium tamen usque ad bellum ob causas ignotas substitit, nec de eo publice actum est nisi in Eucharisticis Congressibus: sic v. g. Viennae anno 1912, de festo Christi Regis peroravit P. Iosephus Zelle (Prov. Lugdun.). Post bellum europaeum, Comes Georgius de Noaillat, "Societatis Regni socialis I. C.,„ praeses, eiusque uxor, suadente RR. DD. Hyacintho Berthoin Episcopo Augustodunensi, qui cum Benedicto XV de novo festo egerat, rei facti sunt insignes promotores, et Directionem Apostolatus Orationis rogarunt ut in id ipsum omnem operam suam conferret. Haec, quae nihil antiquius habebat, utpote quae, ut diximus, ad id nata, omnibus nervis in opus contendit. Ac primum anno 1922 ency clicas litteras ad omnes Nuntiorum directores misit cum supplici epistola ab omnibus variarum nationum Episcopis subscribenda ad Christi Regis festum quam primum obtinendum. Sic mense aprili sequentis anni Pio XI consensus fere omnium Episcoporum oblatus est, Nostrorum praecipue opera ac labore conquisitus. Cum autem hoc sufficere non videretur, sed aliae et aliae adhaesiones requirerentur, ut consensus Ecclesiae non tantum docentis sed et discentis haberetur, Patres nulli parcentes labori, sed conatibus conatus iungentes, sodalitatum, paroeciarum, singulorum fidelium subscriptionum et assensionum cumulos compararunt, ad id etiam omnibus sociis Apostolatus Orationis mensili quam dicunt intentione proposita mense iunio 1924.

In Italia fere omnes, in reliquis mundi gentibus numerus maior adhaesionum per Nostros collectus est. Nostrae quoque sex Americanae Statuum Foederatorum Universitates cum Universitate Berytensi, praeeuntibus in Urbe Gregoriano Athenaeo ac Biblico Instituto, reliquis exemplo praeluxerunt. Decem et septem (quem

numerum nemo alius attigit) subscriptionum volumina a Directione Apostolatus Orationis Sanctae Sedi oblata sunt. Nuntius italicus et Nuntius gallicus in toto hoc opere praestiterunt. Interim Missa quoque et Officium a Nostris elucubrata approbationi Sanctae Sedis subiiciebantur (1).

Atque hinc coepit triumphus: nam prius scivimus petitionem receptam fuisse; deinde, die 5 novembris 1925, *Acta Apostolicae Sedis* proximas Litteras Encyclicas de novo festo annuntiabant; mox, die 14 decembris, in Conssistorio Summus Pontifex easdem promittebat; demum eae Litterae, die 24 decembris, apparuerunt, quibus exoptatum festum ultimo mensis octobris dominico die quotannis summo liturgico ritu celebrandum edicebatur.

Prospectus generalis adhaesionum (2)

Eminentissimi Cardinales	41
Patriarchae, Archiepiscopi, Episcopi, Vicarii Apostolici	701
Archiepiscopi et Episcopi titulares (praeter Vicarios Apostolicos)	39
Praefecti Apostolici	8
Superiores Generales Ordinum Religiosorum	20
Universitates Catholicae	12
Religiosorum Communitates, etc.	102
Religiosarum Communitates	150
Sodalitates, Foedera, Consociationes variae	100
Fidelium privatorum subscriptiones	*fere innumerae*

Ex his: Apostolatus Orationis collegit *17 volumina;*
Universitas Catholica Mediolanensis *11 volumina;*
Ex Hungaria *4 volumina;* et ita porro.

(1) Quae tamen demum approbata sunt, satis ab hisce no tris differunt.

(2) Ex volumine « *La Festa di Cristo Re* » a P. VICTORIO GENOVESI S. I. Romae edito (a. 1926). — Iterum notandum est non omnes profecto has adhaesiones a Nostris esse collectas.

III.

DE QUIBUSDAM CELEBRATIONIBUS IN ONOREM S. PETRI CANISII

(ANNIS 1925-1926).

In Germania, Austria, Neerlandia de officiis S. Doctori Petro Canisio reddendis certarunt variae urbes. Generatim propensio in novum Sanctum adeo de illis regionibus benemeritum potuit dici ingens. Sollemnibus praeerant aliquando bini, aliquando etiam terni sacri Purpurati Patres, atque illa sollemnia quibusdam in urbibus per octo dies sunt protracta: itaque non tam Societatis quam Municipiorum, urbium, gentis sacra evaserunt, et, quod caput est, ubique ad audiendum Dei verbum et Sacramenta suscipienda innumerae multitudines accesserunt.

Sed etiam in aliis regionibus magnae habitae sunt festivitates, quas omnes recensere longum est.

Exempli gratia pauca tantum, quae accepimus, referimus, annis 1925-1926 (nec enim propter argumenti similitudinem ea separare licebat) peracta. Qua in re facile omissiones ignoscantur oportet.

MONACHII IN BAVARIA:

Haec urbs octo dies Canisio honoribus cumulando insumpsit (1). Die igitur 18 octobris 1925 ea quae dicta est " hebdomada Canisiana „ initium habuit. Festorum sedes templum nostrum S. Michaelis, splendidissime exornatum. Duo prae primis ad magnificentiam contulerunt: ipsius Sancti reliquiae insignes quas Emus. Card. Michael de Faulhaber, Monachiensis Archiepiscopus, eidem templo, quousque ibi morabuntur Nostri, dono dedit: et eiusdem Eminentissimi Principis, quas singulis diebus per unam horam vespere habebat, praeclarissimae de Sancto Doctore conciones. Singularum argumenta referamus: 1) Canisius alter Germaniae Apo-

(1) V. etiam *Memorab. S. I.*, vol. II, 1925, pp. 313-314.

stolus; 2) Defensor fidei Canisius; 3) Canisius iuventutis Pater; 4) Canisius Doctor; 5) Canisius Catecheta; 6) Canisius populi morum Restaurator; 7) Canisius Societatis Iesu Filius; 8) Canisius Sanctus.

Singulis diebus singuli civium ordines turmatim ad sacram Mensam accedebant; hora autem nona quotidie Sacrum pontificale; tum aliquis orator suggestum ascendebat. A meridie duplex erat conventus: primus puerorum quos ipse Emus. Cardinalis alloquebatur; alter adultorum singulorum ordinum et Sacerdotum ad Vesperas concinendas, post quas, idem Eminentissimus, ut dictum est, de Canisio concionabatur.

Igitur Sacramentorum frequentia tanta fuit ut mane sex septemve Sacerdotes per integram horam sacram Communionem distribuerent: ad ducenta millia computatus est numerus eorum qui tota hebdomada templum ingressi sunt; congressus puerorum qui, statuto ipsis die, S. Petro Catechismi Magistro acclamabant, decem millium fuit. Emus. Cardinalis mirae suavitatis necnon libertatis evangelicae erat in dicendo: verba eius, ut iam olim Canisii, reconciliationem et caritatem spirabant, tantaque erat eorum proprietas, ut haec ipsa sola mentes percelleret, corda moveret. Hae dotes tantam multitudinem trahebant, ut templum quamvis vastum eam non caperet.

Summa animorum commotio accessit cum, ultimo die, idem Eminentissimus Pater revocavit, quanto amore S. Doctor Monachium prosecutus fuerit, quamdiu et quantis laboribus illic versatus, saluti omnium, at in primis iuventutis, Collegio prospiciens, de illis civibus in omnibus tamquam verus apostolus sollicitus. Merito ergo denuo cum universo populo rogavit, ut Monachii in primis, quin et totius Bavariae apud Deum Patronus, munimen ac praesidium perpetuo exsistat, evadat, perstet. Haec votorum summa, fastigium ac laeta securitas, haec festivitatum clausula cunctis optatissima.

INGOLSTADII:

Ingolstadium primo venit, ibidemque S. Petrus diu moratus est, cum a Summo Pontifice et S. Ignatio in salutem Germaniae missus esset. Haec quoque urbs per dies fere eosdem tanti eventus anniversarios (14–16 nov. 1925) Sanctum adeo de se bene meritum coluit. Festa peracta sunt in templo Mariano, olim Societatis.

Pontificales ritus peregit RR. DD. Leo de Mergel, Antistes Eichstaettensis, qui etiam vespere sacris sollemniis fungebatur. Secundo die, horis pomeridianis extraordinarius consessus habitus est. Oratione tum civili tum sacra Sanctus Ingolstadiensis fidei servator, Universitatis Rector, Vicecancellarius, ac verus reformator, omni laude honestatus est. Celebritati adfuit tota fere civitas; eminebant primores: Praetor, consiliarii, professores, magistri, praeter religiosos omnemque clerum.

Finem sollemnibus imposuerunt pueri. Hi, ultimo die, Sacro Pontificali intererant numero trium millium, ex quibus ingens innocentium vocum chorus rem sacram cantu comitatus est. Digna corona Sancto, qui pueritiam et iuventutem tantopere dilexit.

n Austria:

In omnibus templis nostris Provinciae Austriae mense novembri 1925 certatim S. Doctor celebratus est. Ubique magnus fidelium accursus, ubique notabilis animarum fructus.

Collegium Oenipontanum et Domus professa Viennensis, utpote quae vinculis peculiaribus in Sanctum devinciebantur, ceteris praecesserunt. Nec templum Ignatianum Residentiae Linciensis his cessit: ibi maximus fuit concursus; magnus autem Styriae.

Nec tantum Nostri, sed ipsi externi festa paraverunt. Sic Viennae, Consilio iam inde a mense februario ad hoc constituto praeside E.mo Archiepiscopo Card. Piffl, per integram hebdomadam eodem mense novembri in cathedrali Viennensi ad S. Stephanum, nomine dioecesis honores insignes Sancto tributi sunt. Pari ratione factum est etiam Oeniponte, missis ab Episcopis regionis de hac re ad populum epistolis.

RR. DD. Sigismundus Waitz, Administrator Apostolicus Oenipontanus, precibus RR. DD. Ioannis Raffl, Brixinensis Episcopi, suas adiecit, ut S. Petrus Canisius alter Brixinensis dioeceseos Patronus (ut infra dicemus) renuntiaretur.

In Hollandia:

Noviomagus (Nijmegen), tanti Doctoris urbs natalis, dignis honoribus, ut par erat, filium suum prosecuta est. Interfuerunt celebritatibus omnes Hollandiae Antistites: ad hos suo interventu

duo Emi. Principes, Desideratus Mercier et Michael de Faulhaber, purpurea dignitate festa condecorarunt. RR. DD. Marius Besson, Episcopus Lausannensis et Friburgensis in Helvetia (qua in altera urbe S. Petrus Canisius supremum diem obiit), insignes S. Doctoris reliquias Noviomagum detulit, quae, currui triumphali impositae, summo honore in urbem invectae sunt: easdem templo Societatis dono postea reliquit. Per eos dies etiam " Expositio Canisiana „ quae Aquisgranae sedem habuerat (1), Noviomagi spectanda cunctis erat.

Etiam aliae Hollandiae civitates, praesertim ubi magnus adest catholicorum numerus, Canisium celebrarunt: peculiari memoria dignae sunt festivitates, quae Hagae-Comitis ('s.Gravenhage) et Traiecti ad Mosam (Maastricht) sunt habitae.

ROMAE:

Universitas Gregoriana. — Post triumphalem canonizationis diem et triduanas quae statim in Urbe subsecutae sunt supplicationes, de quibus alias longe lateque locuti sumus (2), ante finem illius anni 1925 novum Sanctum Doctorem Petrum Canisium sollemni academia honorare voluit Universitas Gregoriana Collegii Romani. Ex libello, qui ad illius festivitatis memoriam servandam hoc anno 1926 editus est, haec excerpere liceat, quibus et peculiares causae et ratio celebrationis indicantur:

" Cum die 21 maii anni proxime elapsi (*ita scribebatur die 21 maii 1926*) SS. D. N. Pius XI B. Petrum Canisium Sanctorum honoribus auxit, Ecclesiaeque universae renunciavit Doctorem, inter totius orbis Catholici gaudia maximeque illarum nationum in quibus potiores erant causae cur maiorem hac de re conciperent laetitiam, merito quidem Universitas quoque Gregoriana Collegii Romani peculiari quadam ratione gratulabunda exsultavit. Quae quamvis nunquam Canisio discipulo aut magistro gloriata sit, in eo tamen non modo primum Societatis Iesu sodalem Doctorum laude fulgentem licebat admirari, sed talem virum de quo ob accepta beneficia semper sibi foret recolenda memoria. Etenim compertum omnes habent quantum ipse Canisius Romani Collegii condendi consilium probaverit, quomodo primam eius constitutionem adiuverit, incrementa foverit et quomodo etiam

---

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1925, pag. 314.
(2) V. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1925, pp. 279-289.

inter angustissimas difficultates, quibus ipsius Collegii Roman premebantur exordia, semper ipse quacumque posset ratione auxilium suum attulerit.

" Nec minores meretur grati animi significationes qui in tota Germania, in Austria, in Hungaria et etiam in aliis regionibus, apud Principes, apud Ecclesiae Pastores nomen Collegii Romani vulgavit laudesque nunquam destitit celebrare, curavitque omnibus viribus ut in iisdem optimi deligerentur adolescentes Romam mittendi, qui in nostro Athenaeo rite in " religione ac bonis artibus „ instituerentur.

" Ad memoris igitur animi et ad nostrae laetitiae publicam significationem die 22 decembris superioris anni solemnis in templo S. Ignatii habita est commemoratio in honorem S. Petri Canisii.

" Aderant decem Eminentissimi Patres Purpurati, nec non frequentes RR. DD. Archiepiscopi, Episcopi, Praelati, Religiosorum Ordinum atque Congregationum et Collegiorum Moderatores aliique viri lectissimi; aderat A. R. P. Generalis S. I. cum PP. Assistentibus et Secretario Generali et tota Universitas cum integro Moderatorum et Magistrorum coetu et ingenti discipulorum multitudine.

" Primus verba fecit R. P. Rector Universitatis, Carolus Miccinelli, qui breviter innuit quaenam essent praecipuae illius celebrationis rationes. Mox suggestum conscendit R. P. Eduardus Hugon O. P., in Collegio Angelico Sacrae Theologiae Professor, qui iam, cum ageretur de Doctoris titulo Canisio decernendo, a S. R. C. sententiam rogatus, optimum votum in favorem causae exaraverat, et nunc erudita dilucidaque oratione Canisii Doctoris laudes extulit Eumque dignum qui Catholicus Doctor haberetur exhibuit. Eum excepit clarissimus D. Pius Paschini, olim Universitatis alumnus, nunc in Pontificio Seminario Romano Historiae Ecclesiasticae Professor, qui disertissimis verbis ostendit quam merito Canisius alter a S. Bonifacio Germanorum Apostolus sit habendus, eiusque operam in ruinis reparandis impensam mirifice illustravit.

" Quam commemorationem adhuc iucundiorem effecit notissimus chorus " Scholae Polyphonicae Romanae „, qui, ipsius chori institutore R.mo D. Raphaele Casimiri moderante, adstantium aures suavissimis numeris delectavit animosque summa voluptate complevit.

" Nunc autem, vertente iam anno a Canisio Sanctorum Doctorumque numero adscripto, visum est orationes illas, quae tunc dictae et ab omnibus maxima animorum consensione sunt exceptae, in vulgus edere ut maneant perenne testimonium in laudem S. Petri Canisii, Eiusque patrocinium in nostram Universitatem concilient „.

Collegium Germanicum et Hungaricum. — Quanti hoc Collegium fecerit Sanctus Petrus Canisius nemo est qui ignoret. Perenne igitur grati animi signum Germanici Collegii Superiores et alumni Sancto Doctori praebere voluerunt curando ut templum domesticum in eius honorem sollemni ritu dedicaretur. Memoriae enim traditum erat iam inde a templi erectione, anno circiter 1888, animum fuisse illud Canisio dedicandum reservare; cumque id honoris Beato nondum canonizato tribuere non liceret, a S. Ioanne Berchmans templum interim vocabatur, sollemni tamen dedicatione in posterum remissa. Nunc tandem tributis Petro Canisio supremis honoribus, die 25 maii 1926 Collegii Germanici templum ab E.mo Card. Basilio Pompilj Urbis Vicario pontificalibus caeremoniis Deo in laudem Sancti Doctoris dicatum est, ab eoque die S. Petri Canisii nomen accepit.

In reliqua Italia :

In honoribus Canisio deferendis inter Italiae urbes post Romam forte praecessit Mutina (Prov. Ven.), ubi Canisianis celebritatibus (16-24 ian. 1926) sex Episcopi assistebant qui et concionabantur. Festivitatum ultimus dies, qui fuit 24 ianuarii 1926, mirum praebuit spectaculum. Non tantum sacra auctoritas, sed summa potestas civilis ac militaris, urbis primores, Religiosi, studiorum Universitas, instituta, iuvenes, populus confertissimus, aedem a S. Bartholomaeo, lampadibus et lucibus corruscantem, replebant. Tota civitas, ceteroquin pia et devota, commota est atque cum immenso, quem nunc etiam memorant, fructu participavit.

Goritiae quoque, mense maio 1926, insignes habitae sunt festivitates in maximo urbis templo quod, utpote ad Societatem olim pertinens, S. Parenti Nostro Ignatio dicatur, easque ingens populi concursus frequentavit, praeeunte RR. DD. Francisco Sedej Principe Archiepiscopo cum Metropolitano Capitulo.

Nec vacat de aliis bene multis Italiae civitatibus plura dicere,

ne eadem utut praeclara pluries repetantur: inter alias eminuisse videntur Venetiae et Parma (Prov. Ven.), Augusta Taurinorum et Genua (Prov. Taur.), Bononia (Prov. Rom.), Neapolis et Barium (Prov. Neap.), Panormum (Prov. Sic.).

In Hispania:

Ad nos rettulerunt etiam de festis quae in honorem S. Doctoris habita sunt in Hispania, v. gr. Matriti in Prov. Toletana. Triduo (23–25 oct. 1925) ibi celebrato, in templo Sacri Cordis (Calle de la Flor) primo die praefuit Emus. Card. Archiepiscopus Toletanus, Hispaniarum Primas; secundo die RR. DD. Episcopus Matritensis et Complutensis; tertio demum die Excell.mus Indiarum Occidentalium Patriarcha: sollemnia absolvit Excell.mus Apostolicus Nuntius.

In Provincia Aragoniae, Barcinone praesertim et in Collegio Maximo NN. Sarrianensi novus Sanctus est celebratus (19–21 dec. 1925).

Oniae (Burgos) Collegium Maximum Nostrorum (Prov. Castell.) invitationem vulgavit " Ad honores summos triduanasque perquam sollemnes liturgicas et litterarias celebritates Em.mi et RR. Cardin. Burgensis Archiepiscopi praesentia decoratas " quas novo Sancto diebus 22–29 nov. 1925 decernebat, offerebat, dicabat.

Granatae (Prov. Baet.) Collegium Maximum Nostrorum (4–7 febr. 1926) ac Residentia (24–27 apr. 1926) idem praestiterunt.

Festis sollemnissimis quae Hispalis (Sevilla) in eadem Provincia Baetica celebravit (27–29 nov. 1825), adfuerunt omnium urbis Religiosorum, duarum Universitatum, Seminarii Pontificii, nec non publicarum scholarum legati, Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo " *Te Deum* " concinente.

In Gallia:

In Collegio NN. Maximo, quod Provincia Campaniae Angiae (Enghien) tenet in Belgio, triduum insigne celebratum est. Prima oratio panegyrica habita ab H. Wattel " Sanctum " laudavit; secunda, habita a B. Pioche " Doctorem practicum " ostendit: tertiam exornavit P. Adam O. P. Duae quoque conferentiae sunt lectae: prima ex titulo " S. Petrus Canisius et foenus "; altera vitam ipsius imaginibus proiectis, oculis submittebat.

Aliud triduum Florinis (Florennes) item in Belgio celebrarunt Nostri eiusdem Provinciae. Ultimo die ritus sacri in Ecclesia parochiali habiti sunt : illud praeterea memorabile quod Sacrum sollemne a RR. Abbate celeberrimae Abbatiae de Maredsous perfectum est.

Similia egit Collegium Metense (Metz). Nam et hic ultimo die festivitates ad S. Vincentii paroeciam translatae sunt, et de Sancto concionatus est Illustrissimus Canonicus Müller.

Collegium Maximum NN. Valsense (Prov. Tolos.) etiam magnifica obsequia novo Sancto ac Doctori detulit. Triduo illum praedicavit P. Petrus Lhande. Scribunt ingentem fuisse populi frequentiam, multamque Sacramenti Eucharistiae sumptionem.

IN PROV. ARGENTINO-CHILENSI :

Collegium S. Ignatii, Iacobopoli, in Chilensis Reipublicae urbe principe, magnificos honores novo Sancto ac Doctori, impertivit. Festivitatibus Excellentissimus Suae Sanctitatis Nuntius assistebat, qui et Sacrum pontificale perfecit. Etiam RR. DD. Episcopi Castro, Muñoz, Del Canto y Lira Infante interfuerunt; urbis quoque varii Ordines religiosi; notandi inter laicos, Hispaniae, Galliae ac Neérlandiae viri Ministri.

Peculiare quid praestitit Seminarium Pontificium Bonaerense in metropoli Reipublicae Argentinae. Quoniam Sanctus Doctor de re catechetica est apprime benemeritus, gratum ipsi cessurum putavit Seminarium, si in eius honorem expositio (ut dicebant) catechistica adornaretur : quod et perfecit, conquisitis undique Cathechismis quibuscumque et quocumque tempore editis. Primum locum, ut par erat, tenebant ipsius S. Doctoris in ea re labores, deinde B. Bellarmini ceterorumque omnium ; imagines quoque et quaecumque figurae catecheticae, nec non catechetica paedagogia, quae potior pars erat, variaeque methodi: in summa, quaecumque ad catechesim pertinent, prostabant. Locus erat aptissimus : aula videlicet Seminarii maxima, ubi publici actus habentur. Et revera duo sollemnes in hac etiam materia habiti sunt actus. Primus fuit in re apologetica ab alumno Doctore Candelario Marquez exactus, alter de catechesi theorico-practica pertractavit. Porro videntium et audientium multitudo ingens fuit ; gloria Sancti et profectus christianae doctrinae, ut erat in votis, quam maximi.

Canisius Patronus eligitur:

Urbs Brixina (Bressanone) Sanctum Nostrum in Patronum sibi delegit. Id tribuendum in primis devotioni quem in Sanctum et in Societatem profitetur illius dioeceseos Episcopus Princeps, RR. DD. Ioannes Raffl. Hic, data epistola die 6 decembris 1925 ad R. P. Praepositum Provinciae Austriae, testatur doctrina Canisii Brixinenses semper institutos esse, cuius tutelae proinde ex animo grato se committunt.

Etiam RR. DD. Franciscus Orozco y Jiménez, Archiepiscopus de Guadalajara in Mexico, epistola ad clerum et populum in hunc finem missa (9 nov. 1925), S. Petrum Canisium Catechismi et totius operis catechistici dioecesis suae Patronum proclamavit, ac festa ad id indixit. Sollemniter haec, ipso Archiepiscopo praeside, in templo S. Philippi, diebus 5 et 6 dec. 1925, celebrata sunt. Primus dies obsequio puerorum et puellarum erga Sanctum totus impensus est; secundus magistros doctrinae ac magistras et catechisticas consociationes ante eundem Sanctum collegit. — Sed proh dolor! quae secuta sunt omnes norunt. Velit S. Patronus nunc afflictis suis clientulis illis opitulari!

IV.

QUAEDAM BB. MM. CANADENSIUM FESTA

(ANNIS 1925-1926).

Scribunt ex *Canada Inferiore :* " Annus hic (1926) fuit peculiari modo festis BB. Martyrum nostrorum celebrandis consecratus. Ea festa in Collegiis praesertim Immaculatae Conceptionis et S. Mariae summam prae se tulerunt dignitatem ac fervorem : eloquentes orationes panegyricae ab Episcopis et saecularibus religiosisque sacerdotibus recitatae, concursus populi maximus, reliquiarum veneratio summa, in primis Sacramenta frequentissima „.

Ex relatione missa de triduo in aede Immaculatae Conceptionis Marianopoli (Montréal) peracto haec delibamus :

Triduum, diebus 14-16 martii, peractum est. Templum floribus, peripetasmatibus, lampadibus electricis ad spectaculum pertingebat. Populi a suis pastoribus incitati veniebant conferti ita ut, sedibus a primis occupatis, ingens multitudo sive concionibus sive pontificalibus ritibus religiose et decenter stans, adesset. Nulla alia pompa, nisi Romana, huic nostrae comparanda erat.

Primo die pontificia sacra peregit RR. DD. Iosephus Limoges, Episcopus Montis Laurei. Orationem habuit Superior Sacerdotum a S. Sulpicio. Secundo die sacris operatus est RR. DD. Gulielmus Forbes, Episcopus Joliettensis; oratio vero panegyrica a Rev. Can. Harbour declamata est. Tertius demum dies triumphalis dici potest. Ad sacram mensam concursus quam qui maximus. Sacra sollemnia celebravit RR. DD. Alphonsus Deschamps, Episcopus auxiliaris Archiepiscopi Marianopolitani; P. Elph. Hebert C. S. C. Beatos oratione laudativa prosecutus est.

Prae ceteris fidelibus notabantur qui iam Romae peregrini fuerat, et Excell. Comes Honoratus Mercier, Status Minister, qui et ipse Romae Gubernii Quebecensis Provinciae personam gesserat.

Toto triduo vespere sermo popularis et in genere potius morali et hortativo in vulgi utilitatem habebatur.

Nec innocentes pueri pro sua parte defuerunt. Nam et hi per hos tres dies, horis pomeridianis, peculiari aliquo ritu, oratiuncula, aliave pia exercitatione pro captu Beatos colebant: quibus omnibus aliquis Episcopus semper adesse dignatus est.

Supplicationibus finem imposuit sollemnis hymnus " *Te Deum* „ et Deus vere benedixit.

Nec in Canada tantum sed aliis quoque pluribus locis similes festivitates sunt habitae. Gallia antiqua praesertim hos suos filios, quos in Galliam Novam transmiserat, celebravit. Itaque accepimus de sollemni triduo in aede S. Stephani Insulis (Lille) perfecto; de alio triduo ad S. Ioseph Andegavi (Angers), in urbe natali B. Renati Goupil, peracto.

Etiam in Australia in urbe Sidney triduum est celebratum: fructus baptisma 36 iuvenum exstitit; aliae praeterea spirituales gratiae eorum invocationi tribuuntur.

Alicubi amico foedere BB. Martyres Canadienses cum S. Petro Canisio coniuncti sunt. Ita v. gr. Beryti (Beyrouth) in Syria (Prov. Lugdun.) sollemne triduum commune (12-14 mart. 1926) celebratum est triplici ritu: Maronitice primo die, Graeco secundo, Latino tertio: pulchrum sane et varium spectaculum, merito nostrae S. Ioseph Universitatis adscribendum.

Etiam in quibusdam Italiae urbibus, inter triduanas aut octiduas festivitates Canisianas aliquis dies BB. Martyribus Canadensibus commemorandis assignatus fuit, ut Mutinae et Goritiae et alibi. — Item Iacobopoli in Chile factum esse rescivimus; et in Missione quoque Trincomaliensi (Prov. Camp.), ut infra, inter nuntios breviores de Missionibus, referemus.

Novi Beati in Canada praecipue mira atque prodigia, quae in dies crescunt, patrare dicuntur, ex quibus devotio erga eos augetur. Patres nostri multam operam in id conferunt; mox ergo, si fiducia nobis non deerit, Sanctos illos venerabimur. Haec omnia, cum factis bene multis ac peculiaribus refert " Messager Canadien du S. Cœur „. Exemplo sit sola Immaculatae Conceptionis (Monréal) paroecia ubi post mensem maium 1925 septem prodigiosae sanationes recensebantur, ex quibus sex instantaneas fuisse asserunt.

V.

DE BIBLIOTHECA EXERCITIORUM ANGIENSI

PROV. CAMPANIAE.

Pretiosissimum hoc opus, Nostrisque perutile ac periucundum, humili principio exorsum est, siquidem solet divina Providentia grandia ex humilibus derivare. Libellus quidam, quem iunior quidam Scholasticus repperit, occasio fuit et consilium condendae Exercitiorum bibliothecae iniecit. Libello titulus erat " Solitudo sacra „ (1), iuniori Scholastico nomen Henricus Watrigant (Prov. Camp.); annus erat 1879, locus Collegium Valsense (Prov. Tolos.), Rectore P. Radulpho de Scoraille. Ille igitur libellus fuit primus octo millium fratrum quos P. Henricus Watrigant velut filios excepit ac in unam veluti familiam, bibliothecam scilicet, simul adunavit et semper auxit. Multorum laborum annorumque opera fuit: Pater enim dum in Exercitiorum domibus viris Exercitia traderet, semper libros eius generis quaeritabat, colligebat, emebat, multiplicabat. Ita cum esset Rhemis, anno circiter 1890, fere iam duo millia librorum collegerat, quos secum tulit cum ad Insulas (Lille) diverteret, unde etiam vi dispersionis, anno 1901, cum bibliotheca transmigravit et Angiae (Enghien) in Belgio tandem sedem fixit. Hic vir, iste " Apostolus Exercitiorum „, iste " Cornelius a Lapide Exercitiorum „ ut a quibusdam nuncupabatur, ad vitam beatam transmigravit die 23 februarii 1926.

Liceat hic, in memoriam optimi Patris de Exercitiis Spiritualibus tantopere meriti, ad ipsius bibliothecam veluti invisendam Nostros invitare, eo fere modo quo ipse P. Watrigant, dum viveret, suos hospites de ordine bibliothecae et de libris praecipuis coram edocebat, edito etiam libello ex quo multa in hunc nostrum articulum desumuntur.

Dividitur bibliotheca secundum quatuor hos fontes: 1. Textus; 2. Doctrina; 3. Praxis; 4. Historia.

(1) Erat liber qui inscribitur " *Solitudo sacra* „ a P. Camillo Ettori italico sermone olim conscriptus et latine reddito a P. Henrico Heinsberg (Coloniae, 1725).

Textus Exercitiorum.

Qui percurrerit in editione historico-critica *Monumentorum hist. S. I.* " numeris omnibus, quantum fieri potuit, absoluta „, sive bibliographiam Exercitiorum, sive antiqua Directoria, iterum iterumque ei occurret haec conclusio : " Est in Collegio Angiensi S. I. (Enghien in Belgio) „.

Lectorem non morabimur singillatim recensendo : 1) Ipsum textum hispanum in editione phototypica Romana 1908, nec editiones subsequentes Romanam a. 1615 ; — 2) translationem Patris Roothaan in variis editionibus continuis, ab anno 1835, a quinta vero, a. 1841, quasi absolutam ; — 3) textus primigenii alias translationes : anglicas (Londini, 1880 etc.), cantabras (1914), catalaunicas (1913), flandricas (Antuerpiae, 1850), gallicas (Cenomani, 1846), parisiensem (P. Jennesseaux, 1854, quae quinta decima vice prodibat anno 1909), germanicas (Moguntiae, 1850), italicas (Prati, 1891), sinensem (1913) ; — 4) Vulgatam versionem, quae primo apparuit anno 1548 (eius editio phototypica facta est Parisiis a. 1910 : eminet etiam eiusdem editio in folio, typis regiis, Parisiis, 1644) ; — 5) Textus latini editiones mancas (ante annum 1610 nulla invenitur editio ad usum externorum ; ab hoc tempore habentur complures editiones, quae non continent nisi Exercitiorum partes exercitanti tradendas, easque saepe imaginibus ornatas) ; — 6) Vulgatae translationes, quas paucas reperire est ante finem XVIII saeculi ; dein a medio XIX saeculo ab hispanico textu fiunt translationes.

Habetur integra editio anni 1619, etiam cum Directorio, subreptitia tamen, cum absque permissu Superiorum in lucem data fuerit. En tibi editiones anglicas (ab a. 1736), flandricas (ab a. 1640), gallicas (Insulana, 1614, non est proprie liber, sed collectio foliorum imaginibus ornatorum), italicas (ab a. 1609), aliasque. Habetur etiam editio ab anglicano ministro (postea ad Ecclesiam converso) Orby Shipley ad usum protestantium accommodata (1870) ; recentior (1919) editio alia a protestantico editore Longridge (1).

Asservantur simul notae et litterae Patris Jennesseaux de editione quadripartita : quae scilicet referret textum hispanicum, an-

(1) Longridge non solum Exercitiorum translator fuit, sed adnotator etiam et commentator.

tiquam versionem latinam manuscriptam, versionem Patris Roothaan, versionem vulgatam.

His ergo delibatis et obiter indicatis, bibliothecae interiora ingrediamur, et ad primum, quem diximus, fontem sistamus, qui refert studia in Exercitiorum textum:

1. Quaecumque scripta sunt de origine libri, non omissis placitis singularibus Hermanni Muller de originibus Societatis, nec coniunctis lemmatis, v. gr. de origine orationis *Anima Christi.*

2. Variorum Ordinum nonnulli habentur auctores. Prostat in primis iam famosus *Exercitatorio de la vida espiritual* Abbatis Garcia de Cisneros (1500); deinde sequitur, ut decet, Constantini Cajetani O. S. B. *De religiosa S. Ignatii... per PP. Benedictinos institutione...* (Venetiis, 1641), cui opponitur P. Rho S. I. *Achates... adversus ineptias et malignitatem pseudo Constantiniani libelli* (Lugduni, 1644). Uterque tamen in Indicem librorum prohibitorum relatus est.

3. Non desunt libri Fratrum vitae Communis et Canonicorum Congregationis Windesheimensis et illorum historiae, quibus non mediocriter studuit P. Watrigant. Adsunt Florentii Radewijus *Tractatulus de exercitiis spiritualibus*, Gerardi de Zutphen *De spiritualibus ascensionibus*, Ioannis Mauburni *Rosetum exercitiorum spiritualium*; ad haec D. Nicolai Eschii *Exercitia prorsus divina.*

Respice opera quae sequuntur: de structura, oeconomia, partitionibus et characteribus libri Exercitiorum; pauca tamen. Iacent, donec in lucem edantur, manuscriptae a Custode bibliothecae sedulo concinnatae *Leges magistri et leges discipuli.*

Bibliographia Exercitiorum, quae librum ipsum respiciat, iam habetur in editione critica *Monumentorum*. Si autem hoc nomine veniunt quaecumque pertinent ad doctrinam et ad usum, opus est immensum, ad quod peragendum R. P. Ludovicus Martin adhortatus erat ipsum P. Watrigant, qui materiam praeparavit; sed ea hic iacet. Iam anno 1850, P. Ioannes Nep. Stoeger aliquod in hac re tentamen evulgarat. Si Deus dederit, perficietur et ille catalogus. Duae series edentur: altera manuscriptis, altera libris dedicata, sive ad Exercitia integra pertinent, sive partem quamcumque illustrant. Quicumque semel aspexerit apud Sommervogel (1) tabulas analyticas sub voce *Exercitia*, aut qui legerit

(1) *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, t. X, Tables de la première partie, par P. Bliard, col. 475–478.

bibliopolae Rosenthal catalogum 82, intelliget quantam silvam ordinare necesse sit.

De doctrina et scientia Exercitiorum.

Hic primo veniunt libri qui, considerantes res universim, quasi Exercitiorum processum ac paedagogiam generalem tradunt.

Ostenduntur tibi auctores *analytice* procedentes, cum fide et amore quasi singula verba discutientes. Eiusmodi sunt : P. Diertins, P. Roothaan, P. de Ponlevoy. Dein, demonstrantur alii potius *synthetice* librum contemplantes : huiusmodi sunt P. Moncada, Meschler, P. Ferrusola, P. Nonnell, P. de Boylesve, qui textu minime neglecto, doctrinam sedulo investigant, conceptus secum reputant, deductiones et processus animadvertunt. Inter istos, ex externis egregius est Hettinger (*Die Idee der geistlichen Uebungen nach dem Plan des hl. Ignatius von Loyola)*; et ex Nostris eminent Suarez, Gagliardi, et prae ceteris Palma : optimas etiam animadversiones edidit P. de Hummelauer in praenotandis operis sui *Meditationum et contemplationum S. Ignatii de Loyola puncta.* Nec te praetereant quatuor volumina P. Denis; nec fugiant libri manuscripti, sive transcripti sive autographi, duorum virorum memoria dignorum : primus est primi saeculi antiquae Societatis, P. Cecotti; alter etiam primi saeculi sed Societatis novae P. Barrelle.

Admirare nunc affinis argumenti opera insignia :

1. De theologia ascetica, auctores Societatis probati, plures nimis quam vel pauci nominentur : omnes selectissimi ac praestantes. Adsunt etiam aliqui difficiliores inventu (v. gr. Hayneufve : *L'ordre dans la vie ; Demandes et réponses*, etc.); nec desunt codices manuscripti e longiqua regione, v. gr. e Mexico allati, ut P. La Plaza, etc.

2. Auctores Societatis de theologia mystica, tum veteres cum recentiores, a S. Alphonso Rodriguez ad P. Poulain (1923).

3. Libri varii editi a catholicis, heterodoxis, vel etiam rationalistis, disserentes de veritatibus primi momenti in Exercitiis, v. gr. : de fine hominis, de dominio sui, de paedagogia etiam non Ignatiana, de gubernatione Societatis; et etiam, analogice, de gubernatione et spiritu vel Sodalitatum vel aliorum operum.

Sequuntur alii librorum plutei :

a) Auctores divinam actionem explicantes : Siniscalchi, Pergmayr, Meschler, etc.; et Regulas ad sentiendum cum Ec-

clesia enucleantes: Judde, Meschler, etc.; manuscripti varii, qui paulatim edentur.

b) Auctores regulas de spirituum discretione evolventes: Amort *De revelationibus, visionibus et apparitionibus privatis regulae tutae* (1750); Gravina O. P. *Ad discernendas veras a falsis visionibus Lapis Lydius*; Bona, Gagliardi, Scaramelli, liber manuscriptus P. Cotel typis mandandus.

Iamvero procedendo, *Directoris officia* declarantur libris bene multis: inter quos primas tenent *Industriae* P. Aquavivae; deinde inter multos, Guilloré, Pinamonti quem vertit in latinum Courbeville, etc.

Ad *Exercitantis* autem officia quod attinet, nullum habes opus typis excriptum de Ignatiana orationis methodo ante a. 1600. Ab hoc tempore permulti scripsere: Arias, Figuera, Monteiro (*Arte del orar*), Lerchenfeld, Masenius, Pergmayr, Crasset, Nouet, Nepveu, Massutius, Chr. Mayer, Cecotti, Ciccolini, Judde, Lancicius, de Maumigny.

Phalanx referta sequitur, scriptores de oratione ex aliis religiosis familiis continens: Augustinianos, Benedictinos, Carmelitas, Carthusianos (Le Masson, v. gr., et Molina), Praedicatores (Granada, v. gr., et del Nente, cuius *Dialogos* denuo edidit ipse P. Watrigant), Franciscanos (P. Honoratus de Cannes et P. Iosephus du Tremblay). Quin et saeculares non desunt: Azpilcueta, Boudon, Courbon, S. Franciscus Salesius, Palafox.

De exsecutione, quae item ad exercitantem pertinet, nominatim de examine et electione, plures hic exhibentur auctores. Multi circumferuntur libri sub titulo Examinis, qui non sunt nisi primus orandi modus; ut *Examina particularia* D. Tronson, et similia. De examine etiam disseruerunt nonnulli protestantes, ut Vossius et Ioannes Claude. Sed, omissis his, praeclara argumenta invenies in Azevedo, Drexelio, Druzbicki et Deharbe (pro clero inter meliores). Vide etiam tractatum manuscriptum P. Pauli Ginhac, *de Examine particulari*.

De electione tractant: Pinamonti *De vocatione victrice* (i. e. contra obstacula, dignum quod rursus typis mandetur); Cecotti; d'Orsonnens (optima opuscula); Hevenesi, *Cura salutis* (ob nonnulla verba incaute prolata de ceteris religionibus, in Indicem relatus est, et a Bernardo Pezio O. S. B. impugnatus). Iacent etiam quaedam scripta ad Lahitton iurgium pertinentia, id est de vocatione ad sacerdotium. Insuper, multi libelli, multa

folia, variis temporibus et locis edita, ad reformationem etiam vitae spectantia.

Seorsim positi sunt etiam libri ad aliquem partem Exercitiorum pertinentes, v. g. ad meditationem fundamenti (P. Le Marchand, P. Scribani, P. de Boylesve), ad tres gradus humilitatis, ad duo vexilla, etc.

Hic prostat etiam eorum collectio et acies, qui Exercitia vituperaverunt aut quoquo modo insectati sunt.

Ex adverso acies virorum Exercitia praedicantium et colentium opponitur. Primi veniunt Summi Pontifices et sanctissimi viri. Honoris causa inter fasciculos *Collectionis Bibliothecae Exercitiorum* (*C. B. E.*) fasciculum XXXII " S. Charles Borromée et les Exercices de S. Ignace „ nominamus, quia a tunc R. D. Achille Ratti (nunc Pio XI) est conscriptus. Curiosa est etiam photographia Mediolanensis manuscripti S. Caroli manu annotati : " *Exercitiorum spiritualium regulae generales in ipso Exercitio tradendae* „.

Digni sunt qui notentur in eadem collectione : *S. S. Pie X et les œuvres des retraites*, a P. Debuchy, fasc. 1 ; — *Benoit XIV, Benoit XV et les retraites spirituelles*, a P. H. Watrigant, fasc. 55 ; — *Ste Marguerite-Marie et les Exercices*, a P. H. Watrigant, fasc. 67 ; — *Bellarmin et les Exercices*, a P. Le Bachelet, fasc. 37-38 ; — *Le B. Jean Eudes et les Exercices*, a P. Lebrun, fasc. 56.

De praxi Exercitiorum.

Tertia pars docet *de praxi Exercitiorum* iuxta triplex tempus : *ante* Exercitia ; *in* Exercitiis ; *post* Exercitia.

A) Ante Exercitia: en sexcenti libri *desolitudine*, sive respectum naturalem mavis sive supernaturalem, et speciatim quoad secessum ; en articuli, notae, folia quae spargantur. Epistola quaedam S. Alphonsi de Ligorio et litterae P. Le Valois magnae sane utilitatis erunt.

Sacerdotibus quam maxime prodest secessus. Diligenter collecta sunt documenta, quibus id probatur a compluribus viris eximiae auctoritatis oblata. Impeditus est RR. DD. d'Hulst, qui maximi faciebat Exercitia ex quo illa noverat (1), quominus tractaret hoc argumentum, de quo tandem RR. DD. de la Porte, tunc

---

(1) Cfr. *Mgr. d'Hulst et les Exercices* a P. F. Gibert, in *C. B. E.*, fasc. 20.

Cenomanensis Episcopus, scripsit *Les Retraites du Clergé* (n. 51 *C. B. E.*). Hic in opere suo contendit secessus pastorales, qui iam sunt, reddere uberiores et secessus veri nominis suscitare diuturniores et magis a strepitu mundano remotos.

Sequuntur industriae variae ad mentem *Directorii* (cap. I): Quomodo inducendi sunt homines ad Exercitia ?

Item manuductiones variae P. Renault, P. Cotel, P. Lombardelli, (*Il libro di S. Ignazio facilitato*), Directorii prima editio, vel potius libamentum, Historia domus Venetensis, Directorium et industriae P. Huby; item Patris Bath, Hiberni, qui Salmanticae multis profuit secessu unius diei, *Aparejos para administrar el Sacramento de la Penitencia*, 1615.

Appendix habetur de *adiumentis* nonnullis:

1. *Vademecum* ad Exercitia, et alia huiusmodi. Notentur 12 litterae P. Le Valois (de utilitate secessus), ex quibus nonnullae ad plura milia rursus typis mandatae sunt. Recentius in lucem prodiit *Manuale* P. V. Alet.

2. *Considerationes* magni momenti ad vitam bene beateque ducendam. Ac in re praestant duo Directoria P. Ramière: De vita christiana universim; De vita religiosa speciatim. Nec minoris est faciendum opus manuscriptum (a Lugdunensi descriptum) P. Barelle: De spiritu apostolico. — Multa alia, in documentis, quorum nonnulla divulgata sunt.

3. *Imagines* et *cantica*. Ven. P. Maunoir et P. Huby proponebant imagines aenigmatibus ornatas, quas exercitantibus sollerter declarabant.

B) *Tempore Exercitiorum.* — Occurrunt primi auctores qui secessuum collectiones compararunt, ordine alphabetico iuxta nationes distincti. Primipili sunt inter Germanos: Neumayr et Lohner; inter Gallos: Saint-Jure et Nouet; inte Italos: Ettori et Beschi.

Alia occurrit divisio:

1° Exercitia explicata in genere, scilicet ea ratione ut ad nullam *privatam* hominum classem dirigantur. — Germania et antiqua Polonia praebent Bellecium, Weyer, Lech, Busaeum (Busaeus S. Vincentio a Paulo carus erat suisque eum tradebat; ab eius filiis facta est nuperrima editio). Anglia exhibet Christie. Flandria: Bauters, Perduin, Pennequin. Hispania et Lusitania: Figuera, Salazar, Izquierdo. Gallia, inter antiquos: Hayneufve, Nouet; inter recentes: Jennesseaux, et opus, cui titulus

Manrèse. Italia promit, inter veteres, Cattaneo, Siniscalchi, Ballestrieri; inter recentes, *Eusebianam turmam* (qui scil. Romae ad S. Eusebii domum medio saec. XIX, ductu et spiritu R. P. Roothaan, folia et documenta parabant et divulgabant); praeterea, Massa, Manfredini, Vigitello, Ciccolini, etc.

Inter extraneos sunt memorandi: Cardinalis Mattei (exul a Napoleone); Ordinum religiosorum viri regulares quamplurimi, inter quos eminent: *Breve compendio para mover las almas a el santo uso de los Exercicios que la santísima Virgen dió al gran Padre y Patriarcha San Ignacio de Loyola, sacado de diversos autores clasicos, por el P. F. Francisco Romero, de la Orden de Predicadores* (1721). — Nec desunt regiae feminae: uxor Iosephi II, et, tacito nomine, archiducissa Beatrix Atestina: *Il libro popolare che espone gli Esercizi spirituali* (1887).

2° Accommodari autem possunt vel ex fine secessus, vel ex persona exercitantis, vel ex parte aliqua Exercitiorum cui quis speciatim vacat vel ex facilitate plus minusve integra ad peragenda Exercitia:

a) Finis semper erit se determinare sine ullo affecto inordinato; sed in quibusdam casibus, finis erit electio status vitae, aut quaedam virtus acquirenda (exemplum habes in Saint-Jure, vel apud P. Olivaint), aut renovatio, aut festum quoddam, aut secessus menstruus. Huius ultimi ministerii frequentissima habes documenta, a P. Croiset collecta, qui variis editionibus optima multa profert. Nominandi aliquot et veteres et recentiores: P. Poiré, P. Platel (*La revue de l'homme intérieur)*, P. Adulphus Petit, P. de Geyer, P. Prosper Baudot. Extra Nostros: P. Cormier, Magister Generalis Praedicatorum (*Retraites du mois*).

Finis peculiaris proponitur in P. Masenii opere: *Nova praxis orthodoxae fidei*, protestantibus convertendis destinato, cui respondit ministellus Carpzovius. Finis peculiaris mentione dignus in P. del Nente O. P., qui anno 1643 secessum totum dicabat SS. Cordi Iesu. Finis omnibus quam maxime utilis est praeparatio ad mortem: ita P. Vogel; ita et P. Bernardinus de Picquigny pro omnibus christianis, et P. Lescœur: *En face de la mort*. P. Pawlowski Societatis hominibus eiusmodi ad mortem praeparationem obtulit.

b) Dixerat Directorium quocumque in statu prodesse Exercitia; cui consonat Strada, O. Cist., dicendo: Exercitia tirocinium esse toti generi humano.

Ad Sacerdotes circiter 150 volumina pertinent. Decurramus ergo Agnelli, Calatayud, Maffei, Dufrêne, Neumayr, cuius opus *Gratia vocationis sacerdotalis* magna iustaque fama gaudet. Apparet morem fuisse Societati, sicut diebus B. Petri Fabri, libentissime Exercitia Sacerdotibus tradere. Quantum vero id Seminariis erigendis aut vix erectis profuerit, perpenditur fasciculis 39 et 40 et 41, *C. B. E.*

Neque vero in hac materia desunt externi multi; sive clarissimi viri, ut Em. Card. Mercier; sive anonymi sicut illud: *Octiduana de clericis, in quo peccatum e ritu degradationis consideratur*; sive Episcopi, ut RR. DD. Devie (dignus qui relegatur) et Rudigier et Rey; sive Sacerdotes, ut Planus, Guibert, Maurel S. S., Largent, Bourgoing, et alii.

Ad viros religiosos ducenti libri referuntur: manuscripta etiam animadvertere est duo a Carthusianis exarata. Tandem veniunt qui e Nostris Exercitia integra triginta dierum explanarunt: P. Le Gaudier, P. Judde, P. Petitdidier, P. de Ravignan, P. Grabina, P. Grymowski. Mentione peculiari dignum est octiduum P. G. Longhaye.

Reverenter aperiantur duo libri ad usum Scholasticorum, Polociae typis mandati a. 1793 et a. 1794, in quibus legere est considerationem de existimatione vocationis religiosae.

Moniales non carent suis Exercitiorum commentationibus.

Postremo Exercitia mulieribus accommodata placet ostendere, inter quorum auctores, paucissimos e Nostris reperire est; et Exercitia multa, iuxta Gallicum morem, ante protosynaxim tradenda his succedunt.

c) Ex ipsa 18ª annotatione constat Exercitiorum materiam contrahi posse, et in compendium redigi. Hinc intelligitur alios alia quaesivisse, iuxta varietatem adiunctorum. Alii autem alia via accommodarunt materiae Exercitiorum librum vel auctorem magis dilectum: ita v. gr., explicita cura, deprompserunt meditationes e Scriptura Sacra Paulmier et Keppler. Alii formam libri Exercitiorum referentes meditationes instituerunt sive de Divinis Perfectionibus, seu de SS. Trinitate, de SS. Sacramento, de SS. Corde, de B. Maria V., de S. Ioseph, de SS. Petro et Paulo, de S. Maria Magdalena. Habentur etiam *Harmoniae Exercitiorum* cum operibus sive S. Augustini (a P. Macedo O. S. F.) sive cum operibus S. Anselmi (a P. Gohl O. S. B.) sive etiam cum S. Bernardo, cum S. Bonaventura, cum S. Thoma.

Alii etiam secessus texunt verbis S. Francisci Salesii vel S. Alphonsi. Pariter habentur *Concordiae Exercitiorum* cum libro de *Imitatione Christi* et cum libro *Pugnae Spiritualis*, sive cum aliqua peculiari doctrina theologica, sive cum puncto quodam Exercitiorum: v. gr. secessus de amore Dei a P. Huby.

d) In aliis libris mutatur causa formalis, i. e. Exercitantes vel in ipso libri tramite fideliter continentur, vel paulo liberius ducuntur. Alii speciem Exercitiorum publice offerunt; alii ad usum meditationis adhibebantur, quae publice in nonnullis Nostrorum templis quotidie instituebantur. Alii Exercitiorum lectiones disponunt, v. gr. Cattaneo, Rossignoli; en etiam lectiones huiusmodi azteco idiomate conscriptas. Alii Exercitia in seriem examinum traducunt, quod praestitit P. Dirckinck in *Semita perfectionis*; vel in seriem precum, quae fuit opella P. H. J. Leroy.

Ecce autem tibi etiam Exercitiorum poetae P. Albanus Christie, (*The End of Man, a Poem in four books*, Roehampton, 1866) et R. D. Ansaldi nec non P. Neumayr cum sua *Ascesi rythmica*. Et hi quidem lyrici; nam adsunt et drammatici " Theatra ascetica ,, elucubrantes, ex quibus theatris saepe homines saec. XVII prodeuntes vera Exercitia inibant.

C) Iamque devenimus ad tempus quod est *post Exercitia* Hic asservantur *Sensa*, *Lumina*, *Memorialia* ab exercitantibus conscripta; et libri de *perseverantia* disserentes. Sed haec quo pretiosiora eo rariora utpote quae fructum respiciant, quem quisque secum fert et veluti thesaurum custodit.

De historia Exercitiorum

Ad intelligendam doctrinam et praxim Exercitiorum multum iuvat historia. Id experientia constat cum varii oratores expostulent res argumentaque quibus Exercitiorum usum denuo exsuscitent. Eorum salutarem vim sive in Nostros sive in extraneos omnia tempora testantur.

Exiguam Exercitiorum historiae partem ad obitum usque S. Patris Ignatii solus P. Diertins exaravit, transcribens Orlandini et aliorum locos; eius liber rursus editus est a. 1887, additis iis quae P. Ioannes Pinius in *Actis Sanctorum* circa fructum Exercitiorum collegerat. Habetur etiam brevis notitia apud P. Brou, et in fasciculis aliquot *Collectionis Bibliothecae Exercitiorum* (*C. B. E.* nn. 2, 5, 11, 21, 28, 44 etc.).

Mirabilium scriptor assiduus P. Rosignoli composuit *Notizie*

memorabili degli Esercizi spirituali; quem librum, si quis sapiens ad sobrietatem recuderet, opus utile et beneficum proferret.

Multa excerpere licet ex vitis operariorum Sanctorumque nostrorum, imprimis B. Petri Fabri, dein P. Balt. Alvarez, S. Alph. Rodriguez, P. Calatayud, P. Cardaveraz, P. García, S. Francisci de Hieronymo, P. Segneri, P. Pinamonti, P. Calvi SS. Cordi valde addicti, et incliti operarii P. Pavone, V. P. Maunoir et P. Huby. Nec obliviscendus P. Gabriel Malagrida, strenuus Exercitiorum usque ad mortem promotor, nec P. Lentini, qui solus in Sicilia novem domos Exercitiorum erexit.

Etiam de domibus Exercitiorum in nostra Bibliotheca nonnulla habentur: v. gr. de domibus in Britannia minore in insula Melita, in urbe Lima.

Sequuntur statuta et narrationes secessuum communium qui saeculo XVIII fiebant in Flandria: in regione Yprensi, Lovaniensi, Hallensi, Mechliniensi, Antuerpiensi, Ruremundensi, Hazebrouck, Bailleul.

Nec praetereundum, sicut narravit P. Petrus Galletti (1), ipsum Clementem XIV domum Exercitiorum Romanam tradidisse sociis S. Leonardi a Portu-Mauritio.

Digna etiam est quae memoria recolatur Ven. Maria Antonia de la Paz y Figueroa (cuius beatificationis causam Societas, introducendam curavit), quae, tempore suppressae Societatis, ferventi et prudenti zelo secessus fidelium promovit: cuius liber: *Vexillum mulieris fortis*, circa finem XIX saeculi a Patre quodam O. M. C. versus et in regione Argentina sparsus, quasi mirationem in propria patria suscitavit. Asserunt periti hanc mulierem esse tantum unum inter alia exemplum zeli, quo saeculo XVIII floruit in America meridionali opus Exercitiorum.

Recentiora sunt *Historia domus Château-Blanc* et ea quae scribit P. Bieuville, pro sacerdotibus, in domo Clamart (Prov. Franciae) et in Belgio, praesertim opera P. Adulphi Petit, et aliis locis pro operariis. Recentissima adsunt opera P. Plater et P. Doyle; et quidquid hodie in hac materia fit eximie, in Germania, in Hispania, in America meridionali, in Canada.

Varii insuper manuscripti libri colliguntur: varii idiomate

(1) Cfr. *Lettere edificanti della Provincia Romana*, 1906.

Britonum; en historia hispanica S. Ignatii a P. Ferrusola conscripta, demonstrans quomodo Exercitiorum auctor quod docuerat vita sua expresserit. Colliguntur ea quibus quoquo modo opus Exercitiorum promovetur: v. g. conciones 60 habitae in Catholicorum congressibus, et varia alia: nova et vetera.

Multos quoque *externos* videre est, qui aliqua ratione ad Exercitiorum opus contulerunt. Huc spectant vitae Ven. Alexandri Luzzago, S. Caroli Borromaei amicissimi, qui in proprias aedes prope Brixiam, amicos, seu sacerdotes seu laicos, alliciebat; Card. Friderici Borromaei, Patris Martinelli († 1721) collegii Rhaudensis (Rho) institutoris; D. de Kerlivio et Catharinae de Francheville (Cf. *C. B. E.*, 13–14), qui cum prius non intenderint nisi ordinandorum secessus, et illos aegre perficere potuerint, ad recipiendos fideles quasi sponte occurrentes sese converterunt.

Sicut B. Petrus Faber presbyteros in coetum coniunxerat ut traderent Exercitia, ita Divina Providentia, exeunte saec. XVIII, plures sacerdotes animarum studio accendit qui Societatis fere exstinctae vices in hac re gererent, quod testantur aliae vitae hic congregatae, v. gr. S. Leonardi a Portu Mauritio, S. Ioannis B. De Rossi, Ven. D. Vincentii Pallotta, R. D. Piatti (qui scripsit *Prodigi della grazia*, secessibus datis Exercitui Pontificio a. 1820).

Eodem tempore in Gallia vivebat D. Receveur, sacerdos Bisuntinus, et in Britannia minore D. Victoria de S. Luc: adde alios secessuum promotores, D. Cormeaux, Britonem, pro fide occisum, et D. Orain annis 1792–1794.

Facta etiam colliguntur Sodalitatum ad hoc opus conditarum. Memoratus D. Receveur, v. gr. sodalitatem instituit: pro Sacerdotum secessibus; D. Allemand, Presbyteros a SS. Corde; ex mulieribus adest Societas Dominae Nostrae a Coenaculo. Etiam Fratres a Scholis Christianis bene de Exercitiis sunt meriti, inter quos Fr. Exuperianus eminuit. Nostrorum quoque dierum historia Exercitiorum diligentissime ac studiosissime conquiritur et asservatur.

Cum bibliotheca Exercitiorum coniuncta est, etsi distincta, *Bibliotheca ascetica:* domicilium est librorum omnium de re spirituali in genere et in specie, temporis antiqui, medii et recentis. Mens est ut evadat (liceat vox, a P. Watrigant usurpata) " *Bollandismum quoddam spirituale* „. Deest pecunia, at dabit Deus cum libris: etenim est opus gloriae ipsius et servi sui Ignatii.

Certe si ex fructibus cognoscitur arbor, Bibliotheca nostra optimos fructus producit, cum per suos libros traditos vel commodatos sit causa etiam fructuum quos alii in alios et per alios gignunt; unde spes non dubia est ut, suis publicationibus et collectionibus et praestationibus, ex grano sinapis quod fuit initio evadat arbor evangelica et " aves (exercitantes scilicet) requiescant et habitent in ramis eius „ et " fructus eius dulces „ magis ac magis abundent.

VI.

DE RECOLLECTIONIBUS SACERDOTUM

IN QUIBUSDAM GALLIAE DIOECESIBUS.

Episcopus Venetensis (Vannes) in Gallia Patribus Societatis (Prov. Franc.) opus secessuum seu Recollectionum Sacerdotum commisit. Mox quidam Pater ministerio huic assignatus est. Cogere clerum per pagos et decanatus res minus apta reperta est: potius accedendum fuit menti Episcopi, quae erat ut Sacerdotes per regiones et territoria convenirent, assignato aliquo centro quo, statuto die, numerosiores accederent. Quodlibet autem huiusmodi centrum saltem tribus instructum esse oportebat: sacello, triclinio, horto; curandum etiam ne locus esset impervius, imo via ferrea, automobilibus omnigenis, rhedis, quin etiam byrotis, plane accessibilis.

Omnia, Deo favente et obsecundante, at non sine magno labore parata sunt: itaque Sacerdotes viceni vel viceni quini in singulis centris se colligunt, ibique rebus spiritualibus, suae reformationi, mortisque praeparationi omnes una operam dant. In sola Vandaea decem habentur huiusmodi secessuum centra. Tercenti fere successive aestate conveniunt; tercenti septuaginta (aliquando etiam quadringenti et amplius) vere et autumno; nam hiems non adeo est propitia.

Pater omnibus diebus (sabato tantum, dominico aut festo excepto) centra diversa peragrat, unicuique suum diem tribuens, praemonens et omnia praeparans opportuno tempore. Adest

quoque Patri comes assiduus aliquis Vicarius generalis. Hoc mirum quantum frequentiam augeat, cum Sacerdotes sciant se notari ab Episcopi legato, cuius praesentia etiam ad silentium maxime confert et ad pietatis exercitia dignius graviusque, sine molestia, obeunda.

Ad horarum partitionem quod attinet, paucis absolvitur. Nam secessus incipit h. 10 matutina et finit hora 2ª pomeridiana: sic datur locus iis quoque qui remotissimi sint, et praetextae excusationes evanescunt. Videmus ita quosdam venire et reverti, qui 25 aut 30 eoque amplius Km. distent. Igitur: h. 10 Conferentia Iª; h. 10^{40} (circiter) Tempus lib. (quo confitentur, meditantur, orant, visitant SS. Sacramentum, Vicarium, Patrem etc.); h. $11^{1}/_{2}$ Conferentia IIª; h. 12 Refectio cum lectione et silentio; h. 12^{45} (circiter) Visitatio SS., in qua " Miserere „ recitatur. Deinde in horto reficitur animus, silentio, usque ad h. $1^{1}/_{4}$; tunc in sacello alternatim simul recitant Vesperas et Completorium; h. $1^{1}/_{2}$ Conferentia IIIª; h. 2 Benedictio cum SS., post quam disceditur. – Haec horarum divisio iam sex annos (1919–1925) immutata perseverat.

Ad materiam secessus et argumenta quod spectat, hoc intendit Pater sermocinator ut, volentibus nolentibus, hos dominos cogat unam ideam, unum conceptum, unum propositum (vel vitii fugiendi, vel virtutis exercendae) afferre domum. Ad hanc impressionis unitatem diriguntur non conferentiae tantum sed et lectiones et colloquia ceteraque. Igitur 1ª conferentia argumentum potius intellectui proponit ac exponit; 2ª idem in praxi ostendit: diceretur potius examen concretum et ad rem; 3ª conferentia est adhortatio quaedam e re nata.

Sacerdotes attente et graviter unamquamque conferentiam audiunt: sed quae magis eos percellit est secunda: intelligunt enim negotium esse ad ipsos et pro ipsis, propositum ab eo qui ipsos intus et in cute dignoscit, qui est independens, et ipsis, quantum licet, indulget ac favet, simulque verum non reticet, seiunctus ab eis et identidem cum ipsis coniunctus: quae ratio est cur religiosum sacerdoti saeculari praeferant.

Eadem fere methodus idemque programma tenent Nostri etiam in dioecesi Lucionensi (Luçon): hoc tantum differt, quod a fine 1ªᵉ conferentiae ad benedictionem, SS. Sacramentum continenter exponitur. Hoc autem mirifice silentium, preces, fructum ferre compertum est. In illa dioecesi h. 3ª pomeridiana finis

secessui fit: sic " praeparationi ad mortem „ coram SS. Sacramento datur locus. Episcopus ipse saepe praesidet.

Simili quoque ratione conventus isti fiunt in dioecesi Carnutensi (Chartres), in territoriis Berry et Melun ubi quotidie opus crescit, et alibi. Iuxta circumstantias temporum, locorum, personarum, varietas aliqua convenit, imo aliquando necessaria est, siquidem (ut bene Relator animadvertit) " servatis servandis, quaelibet dioecesis suum caracterem, suam veluti faciem habet „. Alicubi v. g. 3ª conferentia pastoralem vitam potius perstringit vel in his quae dicuntur " opera parochialia „ versatur, sed hoc postremum magnam praeparationem, experientiam, prudentiam in concionatore requirit. Universim, utilissima inter alia multa notantur haec: 1) Breviarii recitatio *in communi;* 2) conferentia *in sacello*, non in aula aliqua vel loco non sacro; 3) ad mortem *praeparatio* genibus flexis et elata voce recitata – etiam breviter – vel ante meridiem, vel ante SS. benedictionem, priusquam in pace discedant.

Etiam e Provincia Lugdunensi referunt in quatuordecim dioecesibus Ordinarios locorum huiusmodi sacerdotales recollectiones Societati moderandas credidisse. Praeterea non raro Nostri rogantur ut Exercitia Spiritualia tradant Sacerdotibus, e quibus aliquot ad decem dies ea protrahunt, nonnulli etiam ad mensem.

Similia dici possint de Provincia Tolosana ut alibi innuimus (1).

Hoc opus in Gallia est sane bene conditum, bene ordinatum utilissimum ad exemplum.

1) Cfr. supra, pag. 554.

VII.

DE NOSTRIS IN DITIONE MEXICANA DEGENTIBUS PERSECUTIONE RELIGIOSA SAEVIENTE (1).

Duae periodi praesentis persecutionis distinguendae: ante et post leges contra religionem applicatas.

Prima persecutionis periodus.

Primordia insectationis iam mense martio 1926 coeperunt. Quidquid catholicum erat, deleri visum: non sacella, non imagines, non religionis scholae aut exercitationes tolerata; imo nec nomen collegii catholici permissum. Cedendum fuit tempori, ita tamen ut iuventus nostra, aut in templis aut alibi, vetita exercitia perageret: idem factum est etiam in difficili ac nobis dilecta Missione Tarahumarensi.

Sacerdotes exteri pulsi, vita religiosa communis interdicta, in quibusdam provinciis numerus Sacerdotum diminutus: hinc factum est ut Nostri non Mexicani vel sese abderent vel ad privatas domos diverterent; plerique vero ad finitimas regiones Americae Centralis aut in Status Foederatos se reciperent; quin et ceteri hinc inde bini vel terni privatim secedere coacti sunt, relictis tantum Fratribus Coadiutoribus cum uno vel altero Patre ad aedes ac templa vigilanda. Hinc etiam aliquae Residentiae clausae, itemque Seminarium minus Parrense.

Nihilominus ministeria in Residentiis reliquis et Collegiis prosecuta sunt, imo ob auctam fidelium ex insectatione religionem magis expetita et aucta, defatigantibus Nostris. " Homines habeo qui praesint libenter, sed non qui in laborem incumbant ut vestri „ dicebat Episcopus quidam cum a P. Provinciali Nostros peteret.

Curiosa etiam vox, certe sed secreto prolata: Statum moliri R. P. Provincialis captivitatem ad pecuniam a Iesuitis extorquendam pro eius redemptione. Sed hactenus nihil eiusmodi evenit.

---

(1) Haec relatio, exeunte mense novembri 1926, ad universam Societatem missa est. — Cfr. *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 540-541.

Interea Praepositus Provincialis, quo melius dispersam Provinciam regere et iuvare possit, ex suorum Consultorum sententia, Patris Nostri accedente approbatione, in Domo probationis Ysletana, quae prope urbem El Paso in Statibus Foederatis sita est, suam sedem constituit.

Secunda persecutionis periodus.

Quid deinde acciderit nos informant litterae sub die 9 augusti acceptae, quas praestat hic referre; sunt enim breves et efficaces:

" .... In omnibus ecclesiis nostris, sicut in omnibus aliis, cultus publicus cessavit a die 31 iulii ex dispositione RR. Episcoporum. Patres nostri omnes recesserunt ab ecclesiis et domibus contiguis, ne ad graves poenas raperentur quia capellani et religiosi et in communitate erant: quae tria, nisi subiiciantur legi poenali antireligiosae, sunt gravissima crimina.

" Tam ecclesiae quam domus nostrae sunt in manibus officialium Gubernii. Tamen in domo ecclesiae nostrae Sanctae Familiae permittunt duobus Fratribus nostris degere. Omnibus conatibus curamus ne Gubernium sibi arripiat domos nostras. Timor est ne Collegium nostrum Angelopolitanum adhibeatur a Gubernio ut domus pro officinis militaribus.

" Collegia omnia nostra clausa sunt, sicut omnia alia catholica.

" Omnes NN. sunt et volunt permanere intra limites Mexicanos; solum Patres et Fratres Chihuahuenses, propter timorem revolutionis ibidem imminentis huc (Ysletam) se contulerunt.

" Quoad ministeria, non possunt Patres ea exercere nisi in domibus privatis cum facultabus extraordinariis quas RR. Episcopi concedunt. . . .

" Iam videt Paternitas Vestra quam tristis sit status tam Ecclesiae quam Provinciae Mexicanae. Tamen non despondimus animo, sed gratias ago Deo propter magnum fortemque animum quem in omnibus ad sustinendos labores et dolores invenio.

" P. Alexander Villaseñor (1) supremum diem obiit die 30 iulii offerens suam vitam pro triumpho Ecclesiae. Notandum die 31 incepisse applicationem legis. . . . „.

Sed ut tristibus laetiora succedant documento sit agendi ratio quam in his angustiis tenuit Societas, bono publico et Ecclesiae et suo consulens.

(1) Erat Socius Praepositi Provincialis a die 25 decembris 1908.

Cum iamiam exsecutioni mandandae essent impiae leges commissio constituta est ab Episcopis quae quid faciendum deliberaret et vota colligeret. Huius commissionis membra praecipua erant etiam duo Nostri.

Dum consulitur, advenit dies exsecutioni designatus: illico in urbe Mexico commissio cogitur: adsunt quinque Archiepiscopi, quatuor Episcopi. Post aliquam discussionem, omnes conveniunt nullo modo ac nulli legis puncto, quae Ecclesiam laederet, cedendum esse; quod consilium etiam ad alios Episcopos delatum est, qui omnes rescripserunt se in eandem ire sententiam, et sic ea quae dicta est " intransigentia absoluta „ proclamata est. De his populus admonitus per collectivam pastoralem epistolam non sine Nostrorum opera exaratam; Sancta Sedes informata: Summus Pontifex propositum dilaudavit eique veluti sigillum apposuit. Itaque fortitudo et agendi ratio impavida, quae inde secuta est, hinc derivavit, cum antea populus, discordiam cernens, nutaret. Est ergo quo Deus laudetur qui haec agit, Nostrisque partem aliquam in iis habere permisit.

Non est consilium nostrum omnia et singula, ceteroquin digna, persequi. Violentia quae adhibita est, catholicorum firmitas, templorum defensio ad internecionem usque: haec omnia ex ephemeridibus nota sunt et praesertim ex gravissimis Litteris Encyclicis a Summo Pontifice nuper datis (1) pauca domestica potius referamus.

Status Provinciae Mexicanae dispersae.

Templa igitur nostra sortem communem subierunt: a Fratribus Coadiutoribus custodiuntur. Aedes nostra S. Familiae die noctuque patet: fideles eo conveniunt, sibi invicem succedunt ita ut qui orent pro Ecclesia Mexicana ibi numquam desint. Et quoniam non tantum celebrare, sed etiam concionari Sacerdotibus, qui id a Gubernio non postularint, interdicitur, diebus dominicis et festis, diversis horis, fideles eodem conveniunt ut Deum exorent et Evangelium vel lectum vel explicatum ab aliquo catholico probo et apto viro audiant.

Collegia Angelopolitanum et Guadalaxarense quoque modo mense septembri aperta sunt.

---

(1) Die 18 nov. 1926: cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII (1926), pp. 465-477.

In maiore discrimine prae ceteris nostris operibus versatur carissima Missio Tarahumarensis, pro qua peculiariter orandum.

Ceterum Patres strenue agunt, nam pro aris et focis res est. Rigide, ne dicam cruente, Gubernium propositum suum persequitur: rigide catholici obsistunt. Firmitas, de qua supra dictum est, Foedus religiosae defensionis (*Liga de defensa religiosa*) creavit, opus in quo Nostri haud exiguam habuerunt partem. Consistit autem etiam in hoc quod catholici, exceptis tantum rebus ad vitam necessariis, in ceteris commercio se subtrahunt (vulgo " boycott al comercio „), quod permolestum hostibus evadit.

Nostri quaecunque in bonum religionis cedunt, scripto, prelo, consilio propagant. Manuale " Vademecum „ quod populum in his adiunctis informet ac sustineat componunt, faventibus in omnibus imo petentibus Episcopis quibus assistunt. Sic nuper cum in Urbem venissent quidam Episcopi Mexicani, ipsis rogantibus, unus e Nostris in Hispaniam et Romam eos comitatus est, ut iis a consilio esset. Omnibus consideratis, haec lucta, ut semper, quae Dei providentia est bonum ex malo quoque eruentis, suos iam fructus non exiguos peperit: siquidem omnibus in confesso est fidem in animis altius radices agere, Deum magis exquiri, vitam ac mores multorum, a multis annis nequam, mutari: religiosam instructionem – quamvis extra templa, scholas, collegia – magis propagari. Ita ea quae dicitur " *Asociación catequistica de S. Francisco Javier* „ post coeptam luctam sexaginta centra catechistica praecipue pro pueris pauperibus iam condidit. Aliquis Pater etiam opus suum impendit colligens pueros pauperes in scholis elementaribus: " quod si annis elapsis cum fructu fiebat, hoc anno – ipse scribit – cum effectu fit *magnifico* „ at cum pari defectu panis, quem illi petunt et quem petimus. Ab alio Patre, licet infirmae valetudinis, multitudini puerorum in urbe Mexico S. Synaxis primo distributa est: Synaxes circiter quingentas ibidem quotidie idem Pater administrat.

Quae hucusque dicta sunt, animum ad PP. Mexicanos profecto inclinant. Brevissimum factum subiiciamus.

De quodam Missionario inter Tarahumaras.

In Missione Tarahumara incolae loci " la Planta „ Patrem quendam rogant ut baptismum ministret, quod ipse praestat. Ecce autem loci politicus commissarius Patrem legis laesae arguit

apud municipii praesidem, qui accusati capturam mandat. Pater in primis curavit ne quid mali accideret, ne quid statueretur in eum qui se hospitio receperat. – Vocatus ergo coram praeside, quoniam ibi lex promulgata ex officio non fuerat, contestatus est se ignorare legem. Praeses audivit: tres dies ad deliberandum sumpsit.

Quarto die vocat pro sententia: haec detrusionem in carcerem denuntiabat, tria simul concedens: appellationem, defensorem seu advocatum; tertio rogabat Patrem, quid sentiret, aperiret.

Quibus ille ita respondit: Ad primum, necesse omnino appellare, immo constituere se eos ad supremum Christi tribunal, ubi iudices et rei, legum latores ipsaeque leges iustum iudicium subibunt. Ad secundum, defensore se non egere, utpote non subiectum poenis quas irrogarent, nec se subtrahere his quaecumque essent futurae. Tertio autem, nullius criminis neque in Deum neque in potestates se conscium esse. Tunc surgens, iuris canonici Codicem quem manu ferebat patefecit, et quoniam illi essent catholici, ipse vero eorum Parochus, suum esse edixit sententiam ac poenas Ecclesiae in eos denuntiare, a quibus nisi poenitentes et ab Episcopo possent exonerari, et legit Canonem 2343.

Cum non valerent hoc tolerare, multas congesserunt in accusatum criminationes, ac Patrem rebellionis, superbiae, legisque violatae insimularunt, inquirentes simul quamdiu in carcere detinendus esset.

Interim amici catholici effecerunt ut Pater casam ab aliquo vetulo oblatam pro custodia haberet ibique non egrediens moraretur. Ter adhuc in iudicium vocatus est. Tertia vice, 16 dollariorum multa constituta est, tempus autem carceris unum mensem. De multa responsum est nullam pecuniam Patrem habere eo quod omnem illis diebus expendisset. Tamen amici catholici ut pro eo solverent, ac mensem custodiae ut domi suae sub vigilantia ageret, potuerunt impetrare.

Factum ostendit quomodo procedunt homines et quomodo Dei gratia suis praesto sit.

Recentiores nuntii.

Huic relationi sint pro coronide recentissimi nuntii qui diebus 15 et 29 octobris ad nos dati sunt. " De persecutione – ait prior epistola – nunc non habeo nisi mala et tristia nuntia communicanda „. Et quibusdam interpositis prosequitur:

" . . . . Persecutio saevior in dies evadit. In aliquibus partibus iam ne privatim quidem permittitur celebrare Sacrum: sacerdos in celebratione captus et etiam adstantes poenam carceris vel pecuniae dare coguntur; distribuentes folia defendentia religionem iisdem poenis et etiam poena mortis mulctantur. Plus quam 40 officinae typographicae clausae sunt a Gubernio quia in eis aliqua eiusmodi folia inventa sunt. Iuvenes tamen Associationis Catholicae Iuventutis Mexicanae (A. C. J. M.) et " Liga de defensa religiosa „ nullo modo despondent animo licet multi eorum morte mulctati sint. Quid plura? In aliquibus civitatibus, etiam bona haereditaria ad Sacerdotes pertinentia sibi Gubernium arripit. Postulatio missa ab Episcopis et populo ad Congressum deputatorum ut reformaretur lex antireligiosa, omnino reiecta est a deputatis.

" Cum catholici hoc iam non possint patienter sustinere et nullum aliud medium tuendi sua iura videant nisi bellum civile-religiosum, in multis partibus Reipublicae cives in arma aguntur et in bellum incumbunt. Hac de causa multi cives et aliqui Sacerdotes poena mortis afficiuntur.

" Ministeria nostra habentur plus minusve ut in ultimis litteris scribebam. Unum addam: Associatio catechistica nostra Sti. Francisci Xav., ultimis tribus mensibus, 25 novis centris instructionis aucta est. 397 catechistae docent in 42 centris catechismum 10920 pueros, non obstante persecutione. . . . „.

Altera epistola diei 22 octobris tristiora enarrat de Missione Tarahumara. Alii tres Patres capti sunt a ministris Gubernii et in urbem Chihuahua translati, eo quod – ut dixit Gubernator civitatis – ministeria exercerent, quin nomen dedissent libris civilibus inscribendum; sed vera ratio ex parte delatorum est odium in Missionarios qua Missionarios catholicos; ex parte vero Gubernii timor (omni utique fundamento destitutus) ne rebellio a Nostris promoveatur. Hanc etiam ob causam tres illi Patres in urbem Mexicum deinde deportati sunt, ibique quadam provisoria libertate donati, sed semper a Gubernio invigilantur.

Post has superioris mensis epistolas nihil peculiari mentione dignum nobis nuntiatum est, nisi forte vaga quaedam et quidem non confirmata spes fore ut aliquantulum res in melius verti incipiant. Quod ut revera et citius fiat, assiduis nostris precibus impetrare ne desistamus.

Romae, die 22 novembris 1926.

VIII.

DE APOSTOLICA NOSTRORUM EXCURSIONE IN PARAQUARIAM

ANNO 1926.

Cum Societas in Paraquariam reditura speraretur et ardenter expeteretur, ad optatum eius reditum parandum nonnulli e Nostris ex Provincia Argentino-Chilensi eo se contulerunt ut popularibus quas vocant Missionibus gentem illam excolerent: nec frustra, nam ingens omnino fuit fructus quem ex suis laboribus collegerunt. Iucundum erit unum ex ipsis Missionariis audire suos et sociorum labores enarrantem. Subiiciemus deinde quae R. P. Praepositus Provinciae Argentino-Chilensis de Societate in Paraquariam mox reditura deque suo ad id instituto itinere referebat. In proximo vero " Memorabilium ,, fasciculo de ipso faustissimo Societatis reditu verba fient (1).

Relatio P. Philippi Lérida.

Buenos Aires, 12 martii 1926.

Admodum Reverende in Xto. Pater,

P. Xti.

Gratum mihi munus commisit R. P. Provincialis aliqua narrandi Paternitati Vestrae de nostra Patrum Argentino-Chilensium recenti Missione in republica Paraquaria. Adversaria narrationis idem Provincialis legit et probavit.

Quinque Patres designati fuerunt ad sacram expeditionem; non quinque sed centum ad eam concurrissent, si penes quemlibet fuisset eundi facultas.

Tempus ad hos apostolicos labores in regione Paraquaria, a mense videlicet decembri ad februarium, instituendos certe peropportunum non erat; illud tamen nobis necessitas non arbitrium imposuit. Cum

(1) V. *Memorab. S. I.*, vol. III, fasc. I (30 jun. 1927), pp. 30-32.

enim tanta operariorum penuria in hac nostra Provincia laboremus, expectare debuimus otiorum tempus in quo magistri a scholis vacant. Nos vero requiem magistris debitam in domibus rusticanis optimo animo cum hac Paraquariensi missione commutavimus. Neque ab hoc itinere nos deterruit solis fervor, quamvis sciremus aestatem in regione Paraquaria ardentem esse, cum magna ex parte in zona torrida sit posita. Hoc unum de nostra missione civibus Paraquariensibus non probabatur: eos scilicet tempore aestivo nos adiisse. Nos tamen non patienter modo, sed et magno ac libenti animo ferventes solis aestus toleravimus.

Missionarii designati fuere: ex Seminario Pontificio Bonaerensi P. Ferdinandus Pérez, qui unicus in Societate paraquariensis est, et P. Iosephus Pedrosa, qui nuper theologicis studiis finem imposuerat; ex Collegio Sanctafidensi P. Ioachimus Gracia, operarius; ex Collegio Monsvideano P. Matthias Crespí, operarius; tandem ex hoc Collegio Bonaerensi P. Philippus Lérida. Primus et ultimus, PP. scilicet Lérida et Pérez, in urbe principe *Asunción del Paraguay*, quae sedes est Gubernii, laboraverunt; alli tres in minoribus urbibus et vicis rusticanis sacra ministeria exercuerunt.

Primum itaque de unaquaque missione, deinde de statu generali vitae christianae in Paraquaria pauca dicam.

Urbes et oppida in quibus laboravernnt missionarii haec sunt: *Concepción, Horqueta, Belén, Encarnación et Paraguarí.*

Concepción.

In urbe *Concepcion*, quae 6000 incolarum habet et ab urbe Buenos Aires 2053 km. distat, sita ad ripam fluminis Paraguay, contiones missionis habitae sunt per decem dies a PP. Crespí, Gracia et Pedrosa. Iisdem etiam diebus adhortationes ad puellas *Filias Mariae* per triduum, ad milites vero custodes civitatis, quos vulgo *policías* vocant, per quatriduum habebantur. Neque interea PP. Missionarii a tradenda populo et pueris christiana doctrina abstinebant.

Communiones numeratae sunt 2.012. - Confirmationes 2.028. - Pueri ad primam Communionem parati 426. - Baptismata collata 160. - Matrimonia ad leges canonicas redacta 12.

Primum homines huius civitatis erga missionem frigidi videbantur, eorum tandem plus quam 200 ad sacram Communionem accesserunt, et quidem e nobilioribus.

Crux in Missionis memoriam erecta est in oppido, non sine magno civium concursu. Nam triumphalis pompa, quae hac occasione instituta est, facile 3.000 virorum ac feminarum multitudinem collegit. Tres pueri totidemque puellae carmina dixere; vir nobilitate primus ad confertam adstantium coronam verba fecit, laudes crucis totiusque

vitae ac religionis christianae magno fervore celebrans, atque ut divinis legibus vitam concives conformarent magnopere hortabatur. Tandem P. Gracia, magna animorum commotione, huic sollemnitati finem ferventi peroratione imposuit.

Neque praetermittendum est PP. Missionarios tempore missionis tradidisse Exercitia spiritualia sororibus Congregationis Mariae Auxiliatricis, vulgo Salesianis; atque finita missione etiam Patribus eiusdem Congregationis.

Puer quidam bonae indolis, consentientibus ultro parentibus, ad Seminarium minus Societatis Cordubense in Argentina magno animo migravit.

Horqueta.

Horqueta alterum fuit oppidum a missionariis visitatum. Eius incolae numerum 3.000 attingunt. Cum templum capere nequiret accurrentes ad verbum Dei audiendum, omnino necessarium visum est contiones sub dio habere, et quidem noctu hora 21, cum aestus aliud non ferret. Cives, sive viri sive feminae, gratissimo animo Missionariorum adventum acceperunt; neque quidquam Patribus deesse poterat, cum quidquid bonis illis popularibus in promptu erat, id Missionariis sponte offerrent. Post unum diem a missione incepta illuc pervenit P. Crespí facultate munitus administrandae Confirmationis. Neque locus ipsi quiescendi fuit; 2.000 christianorum hoc sacramento signavit. Multi longo itinere facto, ita ut nonnulli viginti leucas percurrerint, ad locum missionis accurrerunt ut sacramenta reciperent.

Communiones distributae plus quam 1.500. - Confirmationes 2.000. - Pueri baptismo abluti 270. - Matrimonia 11.

Crux etiam in memoriam missionis est erecta, non sine magno Christi Domini triumpho, ut in urbe Concepción, de qua supra dictum est.

In hoc oppido omnino necesse est ut linguam guaraniticam calleat qui cum popularibus sacra ministeria exerceat. Unus P. Pedrosa e Missionariis aliquid eius linguae noverat. Bene ea utebatur parochus oppidi, senex centum, ut vulgo dicitur, annorum.

Ut missionis fructus solidiores essent, piae associationes Apostolatus Orationis ac Filiarum Mariae sunt institutae.

Ita ingens fuit Missionariorum labor ut P. Crespí a ministerio verbi inde abstinere cogeretur; vox enim ipsum defecit. Studium oppidanorum erga Missionarios, ipsorum discessus maxime patefecit. Omnes enim populares illi eos vocibus, plausu, benedictionibus, lacrimis prosequebantur, dum eis valedicerent; atque uno ore clamabant ut quam primum Patres Societatis Iesu ad Paraquariensem rempublicam veniant.

Bélen.

Hoc oppidum *Belén* ab antiquae Societatis Missionariis est conditum ; singulari ergo gaudio PP. Gracia et Pedrosa ad eum excolendum pervenerunt. Ratio itineris imprimis rustica fuit et frequenti pluvia permolesta. Equites multi obviam Missionariis fuere, et quamvis ab omni populo grato animo sunt recepti, fructus tamen expectationi non respondit. Multi quidem pueri ad christianam doctrinam addiscendam concurrebant; mulieres quoque, nonnulli etiam viri missionis contiones frequentabant, ad sacramenta vero suscipienda minime accedebant. Tandem pompa et generalis puerorum Communio facta est; bene 200 parvulos convivas mensa Christi Domini habuit. Tunc demum mulieres et viri commoveri visi sunt, et sat multae feminae, necnon 40 viri sacramentis sunt muniti.

Belén vocari potuit *tentatio Missionariorum;* ad nullum enim locum tanto spirituali gaudio ac spe fructus accesserant. Variae quidem causae huius mediocris successus missionis; duae vero praecipuae: altera bonus ipse parochus, senio confectus, qui centum et quinque numerat annos, et paroeciam ab anno saltem 1865 regit; altera medicus sectae protestanticae addictus, omnibus carus, vir humanitate plenus, bene peritus in medicina, qui quamvis non multos ad protestantismum adducat, tamen ab ecclesia et sacramentis removet fideles, cum nemo sit inter populares illos qui illius errores dissolvat. Certe fideles omnes istius oppidi in proximo periculi abiiciendi fidem versantur.

Confirmationis sacramento sunt muniti 1.350. — Communiones 1.025 — Baptismi 220. — Pueri ad primam Communionem parati 205.

Crux etiam in hoc oppido fuit erecta. Oppidani satis tunc commoti videbantur, at Missionarii ad alias regiones iter facere debebant.

Dolendum sed verum: in hoc oppido memoria Patrum antiquae Societatis nulla manet.

Encarnación.

Urbs *Encarnación* ad ripam est magni fluminis Paraná, distans ab urbe principe *Asunción* 380 km., ab urbe autem *Buenos Aires* 1.524. Ipsius cura paroecialis commissa est cuidam Patri e Congregatione Verbi Divini. Ad religionem quod attinet, et fama communi et parochi sententia, civitas est non tepida solum sed frigida. Sacellum habet ita exiguum ut vix 200 homines capiat. Hoc tantum numero contentus fuisset parochus si totidem fideles ad missionem accurrissent; sed Dei gratia, labore ipsius parochi et auxilio Missionariorum non solum 200 sed et 2.000, imo et aliquando 3.500 predicatio verbi Dei et instructio catecheticae auditores congregabant. Scilicet, redundante sacello, in aperto campo habebantur contiones. Pompae publicae duae

sunt celebratae: altera noctu, in honorem Beatae Virginis, a 3.000 fidelium est efformata; altera multo etiam celebrior in honorem Sanctae Crucis, cuius signum hic quoque erectum est in memoriam missionis. Carmina prolata, clamores populi, laudes in religionem catholicam, in patriam, in Societatem Iesu uno indefesso resonabant ore.

Pueri ad primam Communionem accesserunt 230. — Confirmatione muniti 1.870. — Adultorum Communiones 1.457. — Baptismo dealbati 407. — Matrimonio canonico ligati 16.

Fideles quamplurimi Apostolatui Orationis nomen dederunt, ut melius missionis fructum asservarent.

Paraguarí.

Duo Patres Pedrosa et Pérez missionem in oppido *Paraguarí* sunt aggressi. P. Pedrosa vero, prioribus laboribus defessus, post tres dies a labore abstinere coactus est et in febrim incidit, quae eum lecto per quatriduum retinuit. P. Pérez et Parochus vere pondus diei et aestus sustinuerunt. Contiones noctu et extra templum maiorem populi partem congregabant. Statio quaedam militaris numerosior, quae ad duo milliaria tentoria habet, magnam vim audientium addebat; imo die dominica omnes milites, praeeuntibus ducibus, cum tibicinibus Sacro publico adstiterunt.

Confessionem defectu sacerdotum maximum numerum attingere non potuerunt. Unus P. Pérez, qui idem Confirmationes conferebat, tradebat doctrinam, contionabatur, tentoria visebat, cetera parabat, audivit Confessiones 243, — Communiones distribuit 450, — Confirmatione signavit 405, — Pueros ad primam Communionem paravit 203, — Matrimonia disposuit 2, — Baptismata administrare fecit 255.

Ut in prioribus missionibus, sic etiam hic, magno populi fervore et concursu, hymnis, plausu, communi omnium laetitia, cum triumphali pompa Crucis signum est erectum. Praeses civilis totius oppidi vexillum praeferebat; milites etiam cum buccinarum bellico clangore splendorem sollemnitati addebant.

Conspectus generalis ministeriorum in quinque missionibus.

Communiones 6.407. — Baptismata 1.312, — Confirmationes 7.655. — Matrimonia 42. — Contiones et catecheses 136.

Post missiones multa matrimonia, quae rite paranda erant, celebrata sunt. Illud etiam notandum quandoque concursus ad contiones et ad recipienda sacramenta superasse numerum incolarum oppidi in quo habebatur missio; multi enim concurrebant ex valde dissitis regionibus, quo fama adventus Missionariorum pervenerat.

Dum PP. Crespí, Gracia et Pedrosa, ut superius dixeram, urbes

et rusticana oppida sacra expeditione percurrebant, PP. Pérez et Lérida in urbe principe *Asunción* labores apostolicos exercebant. En horum ministeriorum summaria narratio.

Asunción del Paraguay.

Prima hebdomada. — Septem conferentiae apologeticae de re morali christiana habitae sunt in Ecclesia cathedrali. Concursus audientium initio omnino exiguus, sed in dies crescens. P. Pérez, qui primam habuit conferentiam, tradidit deinde spiritualia Exercitia octiduana sororibus Societatis a Sancta Theresia.

Altera hebdomada. — Dum in eodem templo cathedrali P. Pérez Exercitia spiritualia feminis mane et vespere tradebat, non sine magno concursu et spirituali fructu, P. Lérida per triduum allocutus est mulieres in publico carcere detentas, atque simul Exercitia spiritualia sororibus a Beata Virgine de Caritate Bonis Pastoris exposuit. His finitis viros etiam carcere inclusos adiit. Auditores plusquam 300 fuere; ex his ad sacram Communionem plus quam 200 accesserunt. Inter mulieres carcere detentas nulla a peccatorum confessione abstinuit. — P. Pérez etiam optimum spiritua em fructum publicis ad feminas Exercitiis est consecutus. Ita multae ad sacramenta accedebant ut multis videretur tempus Hebdomadae Maioris.

Tertia hebdomada. — P. Pérez ad missionem in oppido Paraguarí perrexit ; P. Lérida in ipsa urbe Asunción Exercitia spiritualia viris et iuvenibus, in ecclesia paroecialis S. Rochi, tradidit. Concursus hominum sat bonus et omnino constans ad numerum 250 accessit.

Contiones aliae in diversis templis civitatis a duobus PP. Missionariis sunt habitae.

Notae quaedam de Paraquariensibus
et de statu religioso et morali Reipublicae.

Territorium Reipublicae ad 457.000 km. extenditur ; ipsius incolae 963.000 numerantur.

Sacerdotes saeculares perpauci sunt : unus saepe parochus tres quatuorve ecclesias rurales sibi commissas habet, cum nec uni sufficienter attendere valeret. Praeterea cum magna distantia inter se separati vitam degant, mutuo spirituali auxilio careant necesse est.

Tres sunt Congregationes religiosae virorum : PP. Lazaristae in Seminario dioecesano docent ; PP. Salesiani collegium institutionis primariae habent ; PP. Missionarii SS. Cordis Iesu de Betharram collegium secundariae instructionis moderantur. Tres hae religiosae familiae clericorum ea fama gaudent ut saepe saeculares cives dicant : « Quidquid fidei christianae in Republica servatur his religiosis viris esse re-

ferendum ». Idem de religiosis feminis dicendum. Quatuor earum sunt Congregationes: Filiae B. V. a Caritate de Angers (Boni Pastoris), Societas a Sancta Theresia, Sorores Congregationis Mariae Auxiliatricis (Salesianae) et Filiae Caritatis S. Vincentii a Paulo.

Religio in populo. — In civitate *Asunción*, omnes quidem non solum christiani, sed et catholici dicuntur; fides vero sine dubio decrescit. Plures iam sunt qui theosophismum praedicant, illi maxime qui alios sive in scholis publicis, sive in ephemeridibus docent. Pauci tamen a baptismo abhorrent. Populares quidem religionem servant, sed quasi per traditionem a maioribus acceptam, parum sui consciam, et saepe etiam superstitionibus admixtam. Omnes generatim preces communes familiari traditione a pueritia discunt; cetera vero religiosae veritatis asserta ignorare incipiunt, quamvis animi ad profitenda quae noverint dogmata fidei comparati esse videantur.

Apud ruricolas, fides certe firma hactenus permanebat; at incipit nunc labefactari praesertim protestantium labore. Praeterea populares illi saepe per multos annos sacerdotibus carent, qui eorum fidem defendant. Frequenter etiam veritates religiosae inter eos in varias vergunt superstitiones; multa de Sanctis et malis spiritibus caeca mente creduntur, quae vel omnino sunt falsa vel certe falsis ideis sunt admixta. Incredibile est quam magnam sacerdotibus reverentiam praebeant; non solum pueri sed adulti etiam viri iunctis manibus benedictionem rogant. Mirandum quoque est sacramentorum desiderium. Confirmatio a multis veluti de necessitate medii habetur. Inventi sunt qui 20 leucas facerent itineris ut ipsa munirentur. In aliquibus villis sacerdote privatis sponte matres concurrunt cum filiis coram imagine Beatae Virginis ad Rosarium aliasque orationes et psaecipua capita doctrinae christianae repetenda. In aliis saltem pia quaedam mulier pueris catechismum tradit. Qui aliqua in oppidis auctoritatem exercent humanissime cum Missionariis agunt eosque, in domos cum honore recipiunt, et facillime ad religionis praxim, si forte eam neglexerant aliquandiu revocantur.

Labores sectae protestanticae. — Nuper in urbe *Asunción* collegium institutionis secundariae sat magnum ab his haereticis apertum est. Quamquam adverso animo a multis familiis est receptum, multi tamen pueri et adolescentes ipsius frequentant scholas, non sine magno et proximo fidei periculo, dum sensim in teneros animos indifferentismus religiosus irrepit.

Non minus periculum ruricolis impendet. Stationes enim variis in regionibus statutae sunt ab haereticis, e quibus suos errores dubiaque in catholicam fidem spargunt.

Tam collegium civitatis *Asunción*, quam stationes rusticanae a protestantibus Statuum Foederatorum sustentantur.

Memoria antiquorum Missionariorum Societatis. — Si quae fuit

in antiqua Societate Provincia et meritis et fama plena, haec imprimis Paraquariensis. Quaenam vero de ipsa nunc manet apud Paraquarios memoria? Dolendum sed certe dicendum: fere nulla in urbe *Asunción*; satis vaga in aliis regionibus Reipublicae, etiam in illis oppidis, quae a nostris Missionariis erecta fuerunt. Omnes quidem loquuntur de ruinis Missionum (de ruinis inquam materialibus *Reductionum* vel oppidorum, cum tales ruinae testes sint ipso suo silentio loquentes), sed improbum laborem, virtutes evangelicas, fructus religionis, fidem populo impressam pauci memorant. Nec mirandum, nam libri, qui in scholis traduntur alumnis, pristinas in nostros calumnias decantant.

Si qui autem viri pii sunt rebus historicis aliquantulum dediti, certe magnam antiquae Societatis Patrum aestimationem habent.

De reditu Nostrorum in Paraquariam.

Viri boni generatim nos toto pectore et requirunt et quodammodo quasi ex iustitia vindicant. Qui vero religionem parvipendunt adventum nostrum indifferenter ferunt. Gubernium praesens (facillime mutatur) nobis obstaculo non esset. Clerus uterque rogat ut quam primum ad laborandum in hac vinea Domini accedamus.

Opportunitas redeundi in Paraquariam. — Messis ad fructus colligendos sic albescit ut nisi nos quam primum curramus, procul dubio inimicus homo segetes omnes in ignem mittere sataget. Clerus saecularis adeo est exiguus ut parochiali ministerio stricte necessario vix sufficere possit. Sacerdotes regulares ad missiones populares addicti nulli sunt. Missiones oppidanae a Rmo. Episcopo aliquando fiunt; socios secum affert aliquos parochos, qui interea suas paroecias sine doctrina et cultu per longum tempus relinquere debent.

Fructus qui prudenter sperari possunt. — Non despiciendi certe sunt, experientia teste, fructus qui ex apostolico Patrum Societatis labore promittuntur. Benevolenti animo praedicationem nostram et magisterium spirituale in regendis animis cives urbis *Asunción* recipient. Quamvis praeteritorum memoria pene evanuerit, tamen in praesentiarum magno apud omnes nomine fruimur, praecipue vero extra urbem. Fructus proximus, valde quidem probabilis et magni faciendus, est numerus vocationum ad nostram Societatem qui excitari potest; quod quidem experimento aliarum Congregationum patet, quae plures iam ex hac natione sive alumnos Seminariorum minorum, sive novitios aut scholares, vel sacerdotes etiam habent. Hoc brevi curriculo nostrarum missionum plures etiam pueri nostram vocationem persequi petebant, nec ipsorum parentes obstaculo erant, imo saepe filios ultro offerebant. Ex omnibus tamen non nisi unum ad Seminarium minus Societatis Cordubense admisimus.

Labores tolerandi. — Praeter consuetos in quacumque missione labores, calor regionis talis est ut non levem inferat molestiam; regio enim paraquariensis pertingit ap zonam, quam torridam dicunt.

Paupertas regionis sat magna etiam toleranda est, quae nec benevolentia incolarum faciliter sublevaretur.

Lingua vernacula quoque non levem secum fert difficultatem; quamvis enim hispanam fere omnes intelligant, populares lingua indigena *guaraní* utuntur; et ipsam sine dubio calleat necesse est, qui ex plebe sive urbana sive rusticana uberes velit fructus spirituales excerpere.

Infideles indigenae. — Quid de indigenis? Indigenae sunt guaraniticae gentis, tanta religionis, civilitatis, amoris in Patres fama apud antiquam Societatem notissimae. Nunc vero quid de ipsis manet? Nonnisi fama! Iuxta aliquos, eorum numerus valde est exiguus; iuxta alios, 200.000 numerantur.

PP. Congregationis Verbi Divini in regione orientali missiones inter ipsos per quindecim annos habuerunt, nunc autem, fructum cum nullum obtinerent, eas tandem anno proxime praeterito deseruerunt.

PP. Salesiani, qui in regione indigenarum commorantur, nec oppidum ullum erigere, nec conversiones ad fidem notabiles obtinuerunt.

Regio quae dicitur *Chaco Paraguayo* est omnino derelicta a catholicis. Habetur in ea evangelica protestantica missio.

Haec habui quae de regione Paraquariensi et de nostra ad ipsam Missione P. Vae. communicarem.

Commendo me SS. Sacrificiis.

Paternitatis Vestrae
Servus in Xto.
PHILIPPUS LÉRIDA S. I.

Epistola R. P. Raimundi Lloberola

PRAEPOS. PROV. ARGENTINO-CHILENSIS

ad PP. ac FF. suae Provinciae die 16 iulii 1926 data (1).

Reverendi Patres Fratresque in Xto. carissimi:

P. Xti.

Iam puto nuntium ad omnes meos carissimos PP. ac FF. pervenisse, de mea in urbem *Asnnción* excursione. Paraquariae caput, ut nostis, ea urbs est ac memorabile solum, ubi tot Sodalium Nostrorum exuviae quiescunt, qui Societatem apostolicis facinoribus, sudoribus, quin et aliqui proprio cruore illustraverunt.

(1) Ex hispanico sermone in latinum translata.

Iam ab a. 1768 hinc exsularat Societas: redit ergo post 158 annos in terram *suam*, terra in qua est cernere uberrimas planities, frondosas valles, amoenos montes, lacus et rivos spectandos, ubi populos condidit ab Iesu et Maria eos denominans vel a mysteriis etiam fidei vel a Nostris Sanctis, quorum vocabula hodieque, cum audis, cor intime permulcent.

Paraquaria unica erat, ex antiquis Hispaniae coloniis, ad quam Societas restituta nondum pervenerat. Sed hora Dei facta est: hora exoptata nobis suspiriisque advocata iam tum cum, anno 1836, in regiones Andino-Platenses pedem intulimus. Vox Pontificis Maximi, vox Patris Nostri nos ad labores in Paraquariam vocant: non ambigendum, quin haec sit vox et Dei voluntas.

Die 27 iunii Bonis Auris cum P. Fernando Pérez Acosta profectus sum et via ferrea Assumptionem devenimus die 29 sub noctem: ibi apud parentes P. Pérez gratum hospitium nacti sumus.

RR. DD. Episcopum visimus: post eum, Excell. Reipublicae Praesidem, dein Aulae Deputatorum Moderatorem, mox Cultus, Iustitiae et Instructionis Ministros, dein Archivi Nationalis Directorem, varios denique Deputatos ac Senatores et omnes religiosas familias, personas quoque varias insignes, praecipue vero familias quasdam, quae traditione antiqua vinculis amicitiae Societati devinciuntur.

Ubique et apud omnes perhumaniter excepti sumus, omnes instantes atque urgentes ut in sua civitate domum, imo magnum Collegium instituamus: quod, Deo favente, nos proxime facturos promisimus.

Difficultates certe non deerunt: domus paranda; parata, saltem necessariis instruenda; instructa, unde incolas petet, cum personae deficiant? Sed Deo fidamus qui vestit lilia agri et pascit volucres caeli et misit Apostolos suos ac discipulos sine pera et improvisos. Ipse vocationes ad Societatem suscitabit qui ex lapidibus potest filios Abrahae suscitare et ad fidem et perfectionem evangelicam deducere.

Ordinem religiosum profitemur Vicario Christi impense ac praecipue deditum, cuius voluntatis significatio nobis pro mandato est animose igitur atque ardue exsequendum. Si eguerimus, " sanctae mendicitati ,, acquiescemus, cum toties S. Pater Noster inculcet: " Nostra professio est eleemosynis vivere ,,. Pro defectu autem personarum Dominum messis compellabimus, rogantes etiam ut nos ipsos omnes ad desideria sui Cordis effingat.

Imus in Paraquariam in primis ut conversioni Indorum — ubicumque illi sunt pagani, sive plures sive pauciores — immediate incumbamus, ac ceteris necessitatibus urgentioribus pro gloria Dei et salute animarum nos impendamus. Semen evangelicum ab antiquis Patribus ibi copiose iactum, dein studiose excultum latet etiamnum in imis

animis profundo quodam fidei sensu ; at fides fundamento caret solidae et clarae instructionis, praesertim in iuventute universitaria, sicque fit ut sensualismi et indifferentismi influxui sit obnoxia. Accedit ad haec, funesta et pertinax protestantismi invectio : is in regione *Chaco* suam missionem iam instauravit et in metropoli "exercitum, quem vocant, salvationis", fundavit, ac magnum aedificium "Colegio Internacional", scholis secundariis et superioribus destinatum erigunt ; et sic iuventutem aucupantur.

Ut Societas ergo ingrediatur a Residentia incipere oportet ; dein prope Residentiam Schola Apostolica puerorum cum vocatione ad Societatem, paranda ; demum, cum aderunt personae, de Collegio cogitandum. Haec omnia in constituenda sede prae oculis habebamus, dum urbem quaquaversus cursitaremus.... Tres Sacerdotes ac duo Fratres Coadiutores poterunt primo mitti....

Omnes Nostros ergo supplico, ut suis precibus et operibus bonis Deo oblatis grande hoc negotium promoveant primum, dein vero res necessarias quoque mittendo, benefactores movendo, eleemosynas conquirendo, omni demum ope auxilio sint. Per hebdomadam post receptam hanc epistolam Litaniis communibus "Credo", addatur cum "Salve Regina", et "Pater", ut Deus benedicat Societati in Paraquariam revertenti.

Postremus sit quoque hic nuntius iucundus. Nam Episcopus Assumptionis curam promovendae causae beatificationis P. Rochi Gonzalez de Santa Cruz, tanquam suae dioecesis propriae suscepit, atque postulatorem, R. D. Mena, ecclesiae Cathedralis parochum designavit, qui magna cum diligentia magnoque studio hoc munus suscepit....

Ab Assumptione ad Bonas Auras redeuntes (8-10 iulii), praesentissima Dei Providentia nos a gravi periculo praeservavit : nam paucis ante diebus duo pontes mobiles (*ferribotes* vocant) ad viae ferreae currus transvehendos medio flumine sibi invicem offenderunt et unus ex iis ad ima deiectus est. Nos tamen ex hoc casu sane lugendo nonnisi maiorem quandam moram passi sumus.

Omnium vestrum ss. SS. et orationibus me enixe commendo.

Buenos Aires, die 16 iulii 1926.

Vestrum omnium
Servus in Xto.
RAIMUNDUS LLOBEROLA S. I.
Praep. Prov. Arg.-Chil.

IX.

CONGREGATIO " ACADEMICA „ MARIANA BAHIAE IN BRASILIA (1).

Anno 1916, Bahiae in Brasilia (Prov. Lusit.) Congregatio Mariana " Academica „ denominata surrexit : iuvenes namque colligit qui in Universitatibus, medicinae, iuri, architecturae student. Dominico quoque die conveniunt, auditoque Sacro, in aula Congregationis, lectioni, ac sermoni de re ascetica, apologetica, sociali, assistunt. Deinde fit discussio, praeside P. Directore, mox ientaculum iis qui ad sacram mensam accesserunt (numerosissimi semper sunt) ministratur.

Intra diem quoque, statis horis, P. Director (P. Aloisius Cabral) iuvenes excipit ; vespere autem manipulo delecto, qui ceteros format, praesto est. Hac via et methodo, consertis consiliis ac propositis, in rebus scientiae, societatis, beneficientiae, ac in primis religionis, miri progressus evenerunt.

Initio, cum septem tantum essent, condiscipulis irreligiosis derisui ac despicatui erant ; sed non desponderunt animis ; nunc autem, numero 150, non tantum illis sed et Professoribus admirationi sunt.

Inter varias quas vocant sectiones, ea cui nomen " Circulus Catholicus Iuventutis Universitariae „ eminet. Numero membrorum participantium — inter quos 24 sunt Professores — ipsos congregatos superat. In congressu mensili unus de peculiari aliquo suo studio, deque eius connexione cum re apologetica, historica, patria, morali, verba facit. Alius, iam prius designatus, discutit, arguit, oppugnat : Pater Director concludit, brevem dissertationem omnibus utilem adiungens. Non raro et ipsi Professores interloquuntur.

Praeter hunc Circulum, " Academia „ in alios ramos succre-

---

(1) Ex relatione conscripta a P. Aloisio Cabral (Prov. Lusit.) et primum edita in " *Cahiers de Notre Dame* „ an. 1926, pag. 360 sqq.

vit, quorum solum nomen et mentio laus est. Hinc namque germinarunt ac vegetam vitam ducunt: Opus Catechismi ad rudes ac pauperes pueros, quos ipsi iuvenes universitarii doctrinam christianam docent; Conferentia S. Vincentii a Paulo; Nosocomiorum accessus; Commissiones de Archivo Mariano Academico et de commercio cum aliis Congregationibus, de festis, de socialibus operibus; Apostolatus Orationis; clausorum secessuum Coetus; demum, quod summe necessarium est et commodum iuvenibus universitariis advenis, adest institutio cui nomen " Pensionato Mariano Academico ". Ad haec consequenda maximis sacrificiis et summa constantia opus fuit: sed inceptis favit Beatissima Virgo a qua, tanquam a radice, huius arboris fructus promanant.

Haec autem omnia Reipublicae administratoribus occultari non poterant: sed tantum abfuit ut adeo salutifera opera morarentur, ut potius eis subsidio venirent. Quapropter Aula legifera decem " contos de reis " (quasi vigintiseptem millia francorum *aureorum* ea sunt) annuos Congregationi destinabat; qua pecunia, inter cetera, libris et periodicis religiosis, privato iuvenum studio peropportunis, bibliotheca ditata est. Aula vero foederalis iam iam opera Congregationis inter ea quae publicae utilitati conferunt, agnoscit, nummosque ad ea evolvenda et ipsa tribuit: unde nunc scholae vespertinae pro operariis — in qua Congregati ipsi docebunt — initium erit.

Sed pars potior semper sibi vindicat pietatis et sanctimoniae studium. Hoc patet " Annales Congregationis " editos percurrenti. Continent illi, in prima eorum parte, Congregationis statisticas, chronica, opera singula; in altera vero dissertationes, et sermocinationes ipsorum Congregatorum genuinas exhibent. Habentur siquidem illae, quemadmodum diximus, in congressibus ordinariis vel extraordinariis. Inter hos ultimos, ille qui mensem maium claudit, sollemnissimus est. Satis fuerit dixisse duobus his postremis summum Status Moderatorem et Archiepiscopum Primatem praefuisse, alii quoque proceres ac nobilissima Bahiae societas aderant.

Congregati in his similibusque adiunctis, Beatae Virginis numismate pectus signati, qua voce, qua scripto, qua carmine, qua soluta oratione publice aperteque suam devotionem et actionem Marianam pandunt et adstantes in eandem devinciunt ac in sui ipsorum admirationem trahunt.

X.

INSIGNE S. FRANCISCI XAVERII MIRACULUM

TOLOSAE PATRATUM ANNO 1922.

Libellus periodicus " *La Semaine Catholique de Toulouse* „ in suis numeris 3° et 4°, dierum 17 et 24 ianuarii 1926, exitum et conclusionem exhibet processus canonici in tribunali illius Curiae Archiepiscopalis instituti de prodigio quodam, quod S. Franciscus Xaverius anno 1922 insigniter in ea urbe patravit. Inquisitum est iuxta leges canonicas a Benedicto XIV statutas, et ea fere ratione qua Sacra Rituum Congregatio in beatificatione et canonizatione Sanctorum procedit.

Cum nunc demum de veritate supernaturali illius miraculi canonice constet, liceat nunc de eo paulo fusius sermonem facere; siquidem ante quatuor annos illud solum innuimus (1).

Soror Maria a Praesentatione (in saeculo Candida Bilbao) religiosa professa Ordinis Nostrae Dominae a Compassione, cum Bonas Auras (Buenos Aires) missa esset ut ibidem in instituto sui Ordinis doceret, mense decembri anno 1918 in morbum quem dicebant " grippe „ incidit. Eum morbum varii dolores et incommoda multiplicia subsecuta sunt: anno post nec poterat sola pedibus ambulare.

Mense aprili 1920 in nosocomio cui nomen " Durand „, recepta, et examini radiographico subiecta, ulcus in stomacho detectum est. Anno sequenti 1921 in aliud nosocomium a " S. Rocho „ denominatum translata, novum examen radiographicum cariei officinam in columna vertebrali (*foyer d'infection ou de carie*) revelavit, et ad suum institutum tanquam " aegra chronica incurabilis „ remissa est.

Conclamata ergo a medicis regressum in Europam soror rogavit, ea tantum mente ut Tolosae in domo Ordinis matre dulcius ex hac vita migraret. Exaudita est et, aprili 1922 ineunte,

---

(1) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1923, pag. 39.

in navim imposita. Iter infaustum fuit, Tolosam tamen die 23 aprilis pervenit.

Medicus Tolosanus in sua depositione, morborum iam in nosocomiis americanis notatorum progressum complicatum minute et longissime describit, sic concludens: " Nulla mihi sanationis spes; post octobris finem aegrota nullum alimentum tolerabat; conditiones eius generales erant gravissimae; et iam die 10 novembris odorem cadavericum exhalabat „. Sic ille: domi vero iam funebria disponebantur.

Contigit per eos dies ut brachium S. Francisci Xaverii ex Hispania per varias Galliae urbes circumveheretur. Cum Tolosam devenisset et ipsam domum sororis Mariae a Praesentatione subisset, hanc vehemens venerandi illud invasit desiderium.

Non ipsa, ut petebat — utpote quae iam moritura — in sacellum delata est, sed sanctum brachium ad eam in cubiculum: erat fere meridies diei 14 novembris 1922. Nunc ipsam audiamus loquentem:

" Ut mihi obversatae sunt reliquiae, magnum gaudii sensum percepi, easque, quin adverterem me esse aegrotam, ter sum deosculata. P. Eugenius Paile S. I.: " Recitemus, ait, Pater, Ave, Gloria pro sanatione tua „: quod et ego cum fervore praestiti. Ter adhuc reliquias deosculata sum, quas, nisi vitrum fuisset, momordissem: Pater vero cum eis mihi benedixit dicens: " S. Franciscus Xaverius sanet te „. Iamque morabar ut omnes exirent: cunctis egressis, stragula removi, nullaque difficultate lecto desilui. Non suberat aegritudinis cogitatio: ter circumivi conclave: lectumque repetii. Ab infirmaria superveniente iusculum quaesivi allatumque avide absorbui. Tum vestes rogavi quas indui ex me, nulloque negotio me sola composui. Cubiculo egredior, schalas descendo; sororem invenio quae putat me esse phantasma; culinam pertranseo et coram communitate, quae erat in triclinio, subsisto. Post primam admirationem, omnes in plausus eruperunt atque " Magnificat „ occinuerunt. Omnes in gratiarum actionem sacellum adivimus, atque ex eo momento omnia communitatis exercitia nullo labore sequor „.

Divulgato ergo prodigio per urbem, denuo, iuxta praescripta Benedicti XIV, conquisita sunt medicorum testimonia. Medicus ordinarius scripsit: " Sanationes adeo subitaneae et perfectae, ut ista, nullo modo observantur: nulla habetur ergo rei explicatio medica „.

Secundus medicus in rem vocatus deponit: " *Clinice*... sanatio videtur perfecta in omnibus punctis „. Tertius vero ad idem adhibitus in hanc sententiam devenit: " Mihi pro comperto est sororem (Mariam a Praesentatione) nullum nunc indicium *clinicum* vel *radiographicum* praebere, quod *osteitis tuberculosae vertebralis*, vel *mali Pott in evolutione*, existentiam manifestare possit „.

Merito ergo his testibus, multisque aliis, etiam in America, rogatis et auditis — numero usque duodeviginti — Tribunal memoratum constitutum ex Vicario Generali, duobus iudicibus synodalibus, promotore, duobus notariis et postulatore, sententiam tulit: " Sanatio Sororis Mariae a Praesentatione fuit supernaturalis, verumque miraculum constituit „.

Tantum prodigium non poterat exulare a nostris annalibus, immo memoria perenni recolendum est.

XI.

DE RUSSIACO CONVICTU S. GEORGII
NAMURCI IN BELGIO.

Anno 1923 Turcarum reipublicae status eo perturbationis devenit ut Russiacorum exsulum Convictus qui a P. Ludovico Baille (Prov. Lugdun.) conditus Constantinopoli a Nostris dirigebatur, in aliam nationem refugium exquirere sit coactus. Cum ad hunc finem Galliam frustra perlustrasset, P. Baille ad R. P. Prov. Belgicae Praepositum recurrit, qui exsules se libenter recepturum esse respondit eiusque suam operam polliceri non dubitavit. Aedificium quoddam, iam officinam, quod scopo intento aptum videbatur, Namurci invenerunt, ubi victum et lectum alumni habere, scholas vero Collegii nostri frequentare possent. Alumni itaque et magistri Constantinopoli arcessiti, die 11 martii 1923 Namurcum pervenerunt atque dum aedes ipsis destinatae rebus omnino necessariis instruebantur, sub auspiciis RR. DD. Episcopi Namurcensis, in domo Associationis Catholicae hospitio recepti sunt.

Primis quidem annis, maxima egestate laborabant; supellex, tabulae, sellae, vasa etc. eleemosynis comparabantur; item vestes (quibus detritis utebantur) et lintea. Vidisses alumnos, media hieme, in campo nudis pedibus ludere ut calceamentis parcerent: culina item, triclinio et conclavi admodum exiguis, pauperrimis et ineptis utebantur. Attamen adfuit divina Providentia, et eleemosynarum copia ac Summi Pontificis praecipua largitate res in melius conversae sunt, ac necessaria comparata. Anno 1924, P. Baille ligneum aedificium exstruxit in quo alumni commodius studere possent. Eidem cum adversa mox valetudine conflictaretur, scholasticus quidam Prov. Belgicae, F. Robertus Jourdain, adiutor operis datus est. At Pater, etsi valetudinis causa Lugdunum frustra concessisset, praevidens Convictum Sancti Georgii se non amplius visurum Russos dilectissimos R. P. Belgii Provinciali commendavit, et promissione accepta opus non derelictum iri, aequiori animo suum " Nunc dimittis „ decantavit, atque piissime obiit (10 febr. 1925).

Tunc R. P. Ferdinandus Willaert, Praepositus Provinciae Belgicae, a R. P. Provinciali Lugdunensi, cuius curae hucusque Convictus Sancti Georgii demandatus erat, de futuro statu operis sententiam rogatus, respondit suam Provinciam Convictum reputare pupillum a Providentia mediis in Belgicis Collegiis collocatum, quem prompto animo adoptaret. Itaque, Convictus Sancti Georgii, approbante Patre Nostro, mense martio 1925, auctoritati et curae Belgici Praepositi subiectus est.

Interea Fratri Jourdain facultas data est ex patrimonio suo emendi aedificii, villaeque comparandae cum horto: quibus accessit etiam supellectilis modestae quidem sed decentis provisio ad 75 alumnos apta, prout educandos decet; Belgae etiam matronae 60 millia francorum in id contulerunt.

Sacellum quoque extsructum in quod R. D. Sipiagin operis Director ritum orientalem induxit. Accedebat ad hoc Summi Pontificis aprobatio et pecuniarium auxilium.

Vix dici potest quantum illa ritus orientalis functio alumnos oblectaverit, ac porro oblectet: R. D. Sipiagin enim ritus graeco slavici caeremonias et cantus perfecte novit, docet, exsecutioni mandat, omnes domestici et externi, catholici et orthodoxi, Graeci et Belgae id mirantur ac laudibus cumulant.

Regimen internum Convictus cum regimine nostrorum Collegiorum fere convenit, quibusdam tantum paulo immutatis prout

Russiaci mores ac traditiones postulant : ita, verbi gratia, disciplina utimur non nihil duriore quam in Occidentalibus Collegiis et quae militare quid magis redolet. R. D. Sipiagin, utpote Convictus Director universam institutionem moderatur. Peculiari tamen cura studia dirigit, eaque magno zelo et sollicitudine promovet ; immo iuniores alumnos ipse non raro docet. P. Robertus Dupiéreux, qui Fratri Jourdain, theologiae operam daturo, succedit, Procuratoris officio fungitur resque materiales curat. Partes praeterea agit subpraefecti maiorum alumnorum et omni hebdomada de re morali aut religiosa verba discipulis facit. Universi alumni in duplicem classem maiorum scilicet et iuniorum dividuntur, ipsisque duo ortho doxi ut iam Constantinopoli subpraeficiuntur. Horum unus me dicus est, alter vero antiquus militum praefectus.

Etsi per spatia 75 alumnos recipere liceat, nec desint qui ut admittantur supplicent, tamen, deficientibus mediis ad plusquam pueros 60, alumni circiter 55 numerantur.

Quaedam ex regula Convictus excerpta clariorem notionem dabunt et spiritus et internae disciplinae quae in Collegio Sancti Georgii vigent. Convictus iis Russiacis pueris destinatur qui, liberales artes professuri, in Universitatum disciplinas, post media studia absoluta, incumbere intendunt. Non admittuntur nec servantur nisi pueri ad has disciplinas addiscendas vere apti. Alumni scholas Collegii Reginae Pacis aliarumve ecclesiasticarum Institutionum civitatis frequentant. Ultra praedefinitum numerum alumni non accipiuntur. Praecipuus finis Institutionis in eo est ut principiis christianis alumni instituantur ; sint ergo necesse est moribus, fide, pietate excellentes. Officiis religiosis Religionisque lectionibus interesse obligantur. Etiam orthodoxi pueri in Convictu admittuntur ; sed quicumque, sive catholicus sive orthodoxus ad Institutum pertinet, stricte vetatur cuiuscumque religionem offendere.

Reverentia et amore suam patriam prosequi docentur, ideoque ad varia institutionis officia implenda Russiaci natione homines electi sunt ; eadem de causa ritu slavo–russiaco sacra officia celebrantur, Russicam linguam, geographiam addiscunt alumni, ipsisque popularium suorum auctorum bibliotheca patet ; Russorum etiam ratione et methodo exercitantur, ipsaque alimenta, quantum in nobis est, modo russiaco praeparantur. Minora opera manualia, quibus domus munditiei et extra studiorum tempus operam dare alumni rogantur, omnes nullo excepto, facere tenentur.

Fructum quoque huius institutionis indicabimus. Alumni quippe qui in labore strenui menteque vivaci, et a R. D. Sipiagin incitati, optimo exitu in studia incumbunt; anno 1925, verbi gratia, e 40 alumnis qui nostrum Collegium frequentabant, 10 multis in disciplinis primum locum obtinebant. Nihil quod reprehendatur in suis moribus offerunt. Omnes discipuli tum orthodoxi cum catholici Liturgiae quotidie intersunt, quae integra conservatur, etsi paulo citius psalmi decantentur ita ut fere tribus quadrantibus absolvatur officium. Omnibus vero diebus dominicis Liturgia, atque pridie solemniorum festorum Vesperas solemniter celebrantur; quibus officiis Russi exsules et aliqui Belgae catholici adesse consueverunt. Mane et vespere communi recitatione aut cantu preces effundunt, praeter quas alias etiam sponte priusquam somno se tradant, privatim recitare solent. Initio prandii et coenae pagina Evangeliorum alta voce legitur. Catholici omnes frequenter, immo plures quotidie ad Sacram Synaxim accedunt. Paschatis die orthodoxis fas est Liturgiae propriae extra Collegium a Sacerdote orthodoxo celebratae interesse et Sacramenta recipere. Belgarum catholicorum exemplo suasi complures alumni orthodoxi confiteri peccata et Sacram Communionem saepius accipere vellent. Ceteroquin Sacramentorum usui contritionem perfectam et spiritualem Communionem substituere edocti sunt. Ut paucis absolvam, sua conversatione cum catholicis alumnis et disciplinarum catholicarum usu interior pietatis occidentalis vita, quae laicos orthodoxos fere omnes latet, his iuvenibus revelata fuit.

Eorum animi sensus ad Ecclesiam nostram feliciter inclinantur ipso facto quod quotidiana experientia paulatim minuuntur praeiudicia et evanescunt. Cogitabant enim plus minus catholicos Sacerdotes in genere, et praesertim Iesuitas tyrannica quadam dominatione fidelium animas regere, rerum tantum speciem curare, omnique sinceritate carere; quae cum falsissima esse cernant, iam cum Patribus magistris, praefectisve morum fiduciose agunt. Eundem effectum obtinent scientia nostrae religionis, de qua multa in lectionibus, est concionibus audiunt, catholicorum vivum exemplum et operosa in ipsos caritas, sodalium piorum amicitiae, ac in primis Summi Pontificis, quam probe experiuntur et grato animo agnoscunt, benevolentia.

Erraret tamen qui crederet hos pueros facile Romanam fidem esse amplexuros. Parentes enim quibuscum frequenter conferunt,

eorum animos sensusque ad orthodoxam inclinant et contra catholicam praemuniunt; quod etiam faciunt orthodoxi sacerdotes patriae amores ac dolores obicientes — qua de re epistolam encyclicam ab orthodoxo sacerdote possidemus —: id autem mirum quantum iuvenum animos percellat. Adde quod orthodoxi plures numero quam romani sunt. Sed iam Superiores constituerunt ut in posterum catholicorum saltem dimidia pars futura sit; ex his vero quosdam fore Sacerdotes speramus.

Ipsis ergo circumstantiis et operis progressibus, finis intendendus nobis clarior paulatim apparuit: suscitandi nempe sunt virorum manipuli christianorum, qui inter optimos Russiae concives et suis religiosis principiis et sua pietate et sua civili excellentia eminentes sint futuri summaque auctoritate praeituri. Ideoque colligere satagimus pueros qui, mentis acumine et laboris studio praestantes, exquisitioris institutionis sint capaces, vere bonae spei adolescentes. Eundem in finem, quamquam alumnos in his quae ad mores religionemque spectant, austeris occidentalium regionum disciplinis instituere studemus, — quarum disciplinarum fructus ipsi puerorum parentes animo sincero mirantur et laudant, — eos tamen, quantum per circumstantias licet, traditionibus moribusque Russiacis, ut dictum est, imbuimus et seriam Russiae linguae historiaeque scientiam eis procuramus.

Nec spem abiciamus oportet fore ut tandem aliquando, tranquillatis rebus, Convictus noster et omnia quae ad ipsum pertinent, in Russiam sit inducendus. Ibi, tanquam in propria sede, bene ordinatus, suis traditionibus, institutionibus, iuribus libere ac rite utens, si non catholicorum ritus orientalis Collegiorum primum, certe unum e primis evadet.

Quod ad rem pecuniariam attinet, experientia constat francorum 2100 circiter requiri ut unum annum unus discipulus sustentetur. Alumni ergo sexaginta 126.000 francorum quotannis consumunt. Ad quam summam inveniendam, catholicorum Belgarum caritatem imploramus, nec frustra, siquidem inde certa spe 65.000 francorum per annum expectare licet. Hi numeri summa evidentia ostendunt quam impossibile nobis esset, nisi benevolentia sua, et benedictionibus et generosis elargitionibus augustissimi benefactores nos adiuvassent, prosequi illud opus quod tamen arbitramur esse inter alias formas apud Russos apostolatus optimum fortasse et fecundissimum.

XII.

DE EXUVIARUM RECOGNITIONE

P. NICOLAI A BOBADILLA

UNIUS E PRIMIS S. P. IGNATII SOCIIS.

Aloisius Patrizi physiologiae professor in regia Universitate Bononiensi et eximius Recinetensium historiae cultor, iamdudum indagare ed explorare cupiebat sepulcrum P. Nicolai a Bobadilla qui, anno 1590 Laureti vita functus et Recinetum (Recanati) elatus, ibidem iuxta aram principem Ecclesiae S. Viti fuerat depositus.

Re cum R. D. Aloisio Marini Ecclesiae Rectore et cum urbis Syndico communicata, Recinetensium Senatus eiusdem Ecclesiae S. Viti Patronus, cum tanti viri mortales exuvias ab iniuria temporum omnino servandas et accurate custodiendas curaret, atque inde gloriam dignitatemque propriae urbi obventuram esse non minimam, impendio publico rem totam perficere decrevit.

Quod civitatis dynastae statuerant, id, absente Episcopo, Monaldutius Leopardi, Antistes Leptimagnensis et Dioecesis Recinetensis Vicarius Generalis, non tantum comprobavit, verum etiam exuviarum recognitionem praesentia sua condecorare constituit.

Idem autem Antistes, litteris datis die 21 augusti ad nostri Collegii Lauretani (Prov. Rom.) Rectorem scripsit, non sibi tantum sed Recinetensium quoque civitatis acceptissimum fore, si nonnulli e nostris Patribus recognitioni interessent.

Cum Pater Rector sacra Exercitia illis diebus perageret, die statuta Recinetum misit duos e Nostris in Collegio Magistris, P. Iosephum Mastri et Schol. Raphaelem Martinelli, quibus tertius additus est P. Arthurus Pasqualini, hospes, qui olim in Tusculano Collegio Minister, eundem Monaldutium Leopardi discipulum habuerat.

In Ecclesiae S. Viti abside parieti adfixum vetus exstat epitaphium marmori insculptum:

D. O. M.
NICOLAUS · A · BOBADILLA · HISPANUS
S. IGNATII · SOCIUS · E · PRIMIS · NOVEM
POST · REM · CATHOLICAM
VIRTUTE · SAPIENTIA · CONSILIO
REBUS · FORTITER · ET · PIE · GESTIS
PER · ITALIAM · SICILIAM · EPIDAURUM · ILLYRICUM
ET · GERMANIAM · PROPE · UNIVERSAM
NON · SINE · SUDORE · ET · SANGUINE
VEL · ASSERTAM · VEL · CONFIRMATAM · VEL · AUCTAM
MAGNIS · DEFUNCTUS · PERICULIS · ET · LABORIBUS
HIC · QUIESCIT

OBIIT · LAURETI · IX · CAL. · OCTOBR.
ANNO MDXC · AETATIS LXXIX
AB · INSTITUTA · SOCIETATE · L

Prope hoc epitaphium Rector Ecclesiae animadverterat in pavimento lapidem cum inscriptione, exesis tribus (PRIMIS COMITIBUS SOCIET.) verbis a postremo proximis, dimidiatis ferme, quae procul dubio ita quidem legi debebat:

NICOLAUS
BOBADILLA
UNUS EX PRIMIS
COMITIBUS SOCIET.
† IESU †

Manifesto Rev. D. Aloisius Marini vetustius Bobadillae invenerat epitaphium; quare sub pavimento inquiri et perscrutari oportebat, praesertim cum parietis murus valde exiguus appareret.

Parte lateritii pavimenti iuxta sepulcri lapidem sublata, dum operarii aridam humum in foveam immissam dimovent, statim patuit arcam ex ligno, quae Patris a Bobadilla corpus protegebat, penitus corruptam fuisse: minima tamen fragmenta supererant.

Ossa inde erui coepta. Pars cranii, scapularum, femora, costae, tibiae, vertebrae, dentes in medium prolata sunt, quae cum Patritius examinasset, haud difficulter hoc iudicium sibi efformavit, in illo sepulcro olim fuisse viri cadaver, staturam qui iustam paulum excederet, qualem Bobadillam fuisse tradunt.

Dentes vero, qui tres tantum reperti sunt, diuturnos morbos et hominis provectam aetatem comprobare videbantur.

Haec vir peritissimus invenit confirmavitque: ceterum de identitate dubitare minime poterat, non solum quia in Ecclesiae abside unius Patris Nicolai corpus humatum fuisse constat, sed etiam quia omnia adamussim convenire reperta sunt cum loco quem vetustissima inscriptio indicabat et cum iis quae nostrae Societatis rerum scriptores prodiderunt, ex. gr. P. Didacus Calcagni in opere Messanae edito, anno 1711, cui titulus: *Memorie istoriche della città di Recanati.*

In promptu erat arcula ex ligno, plumbea lamina in parte interiore obducta, ibique omnia ossa illa et ossium fragmenta accurate religioseque condita sunt. Cuius facti, ut memoria servaretur, iuxta ossa fistulam ex plumbo collocavimus cum pergamena a singulis praesentibus obsignatam, cuius haec erat sententia:

SENATUS RECINETENSIS CURA ET IMPENSIS
OSSA P. NICOLAI A BOBADILLA
E NOVEM PRIMIS IGNATII LOYOLAE COMITIBUS
DILIGENTER AB ALOYSIO PATRITIO RECOGNITA
HEIC TANDEM
MONALDUTIUS DE LEOPARDIS ANTISTES LEPTIMAGNENSIS
DIOECESIS RECINETENSIS VICARIUS GENERALIS
ALOYSIO MARINIO ECCLESIAE S. VITI RECTORE
ET TRIBUS E SOCIETATE IESU SODALIBUS ASTANTIBUS
DILIGENTISSIME COMPOSUIT

DIE XXIII AUGUSTI · ANNO DOMINI MCMXXVI

Tandem arcula diligenter occlusa, serica fasciola rubri coloris obligata et sigillo Antistitis munita, posita est sub pavimento in latere Evangelii, uti antea, in loculo ex latericio opere prope parietem, ubi vetus exstat epitaphium marmori insculptum.

Accurate sepulcri locus in pavimento vetustissima inscriptione quam diximus adnotatur.

Multam Recinetensibus debemus gratiam, in primis Ecclesiae Rectori, quod enim civitatis Senatus, Excell. Monaldutio Leopardi auspice, faciendum decreverat, id Rev. D. Aloisius Marini, summa adhibita diligentia, exequendum perficiendunque curavit: tali enim recognitione neglecta, ossa P. Nicolai a Bobadilla, e novem primis S. P. Ignatii comitibus ultimi morte, merito non postremi, serius ocius procul dubio periissent.

XIII.

P. ALFREDUS MAERTENS

OECONOMUS GENERALIS

(† 16 AUG. 1926).

P. Alfredus Maertens natus est Gandavi (Gand) in Belgio die 26 septembris 1838 honestis piisque parentibus. Pater eius et avus rem argentariam agebant. Adolescens, sex annos in Collegio Societatis ibidem litteris impendit. Cum rhetoricam absolveret utrumque praemium primum, quod " excellentiae et sapientiae „ ibi vocant, consecutus est.

Mox Namurci in Collegio nostro philosophicis studiis operam dedit. Deinde ad ius civile in Universitate Gandavensi se contulit, eiusque lauream summa cum laude adeptus est: tum rebus forensibus Gandavi et Parisiis duos annos vacavit.

Iamque cogitatio suberat de vita religiosa capessenda, sed consilium tuendi Ecclesiae iura in foro civili, praevaluerat; viderat enim acerrimum de his tunc temporis conflictum. Cum ergo intento studio ad hoc se compararet, forte a quodam bibliopola oblatus est ei liber " De eligendo vitae statu „ quem RR. DD. Ioannes Bapt. Malou Episcopus Brugensis conscripserat. Huius libelli lectio animum iuvenis mutavit, seque ad vitam religiosam vocari persensit: anceps tantum de instituto religioso sibi proprio manebat. Igitur dubium discutiendum ipsi Episcopo suo Gandavensi, RR. DD. Ludovico Delebecque, remisit. Hic in proximum B. Virginis Assumptae festum iudicium differt: eo autem die Alfredo auctor est ut Societatis institutum amplectatur. Ille, libenter admisso consilio, die 26 septembris 1862, quo die vigesimum quartum aetatis annum explebat, ad domum probationis Trunciniensem convolavit.

Tirocinio in exemplum perfunctus, quatuor annos, nunc Gandavi, nunc Namurci, nunc etiam apud iuniores nostros, magistrum egit: quatuor alios Lovanii theologicis disciplinis attribuit: ibidem 10 septembris 1871 sacerdotio auctus. Sequenti anno tertiam probationem, P. Adulpho Petit Rectore et Instructore, Trunciniis peregit et die 2 februarii 1879 quatuor sollemnia

vota professus est. Interea Collegium Bruxellense prius, mox ipsa Provincia octo annos eum Procuratorem sollertissimum experiebantur. Annis 1882-1884 eum ex Procuratore Socium Praepositi Provinciae factum, deinde annis 1884-1897 Collegiorum Caroloregiensis, Tornacensis, Namurcensis Rectorem comperimus: dum vero Congregationes Generales XXIII (anno 1883) et XXIV (anno 1892) celebrabantur, Vicepraepositum Provinciae agebat.

Propter haec cum A. R. P. Ludovico Martin innotuisset, hic illum in Curiam, exeunte anno 1897, Faesulas vocavit. Aliquot menses tantum, ut caelum italicum experiretur, Substituti Secretarii pro Assistentia Germaniae munus obivit: medio autem anno 1898, Procurator Generalis est constitutus. Porro huic muneri diligentissime fidelissimeque implendo viginti tres solidos annos adlaboravit, a Congregationibus Generalibus XXV (anno 1906) et XXVI (anno 1915), quibus ad negotia post electionem agenda ratione muneris interfuit, ad nomen novi Praepositi Generalis Summo Pontifici statim nuntiandum delectus est. Anno 1921, cum opportunum visum sit rei oeconomicae administrationem ab officio Procuratoris Generalis seiungere, eo magis quod optimi senis vires iam utrique muneri sustinendo impares fierent, ei Oeconomi Generalis partes sunt demandatae; quo titulo etiam in Congregatione Generali XXVII anno 1923 sedem habuit.

Vir, qui regulae vivebat, sat bona semper ad devexam usque aetatem usus erat valetudine nec longo morbo nobis ereptus est, quamquam ex renibus ultimis hisce annis aliquantulum laboraret. Ineunte autem augusto 1926, cum ex more rus Tusculanum cum aliis Curiae Patribus perrexisset, quo iamdiu renum morbo vexabatur, eo gravius tentari coepit. Ex ea aegritudine post paucos dies in extremum vitae discrimen coniectus est. De periculo admonitus, ultima Sacramenta libens suscepit, simulque se nulla re sollicitari declaravit, sed tantum Deo acquiescere ac in divinis dispositionibus contentum esse. Ita comparatus moriens, quemadmodum fuerat vivens, animam placide efflavit die 16 augusti 1926, vespere.

Vir fuit peritia haud communi in rebus iuridicis et oeconomicis praeditus: cuius animum iudicium rectissimum, prudentia ac discretio magna in agendo et loquendo ornabant: cuius sedulitas ac fidelitas muneribus ipsi commissis par fuit: officiosus

in omnes, omnibusque carus. Complures eo a confessionibus aut a consiliis utebantur, praesertim in Belgio dum Procuratorem Provinciae agebat, et Romae in templo SS. Nominis Iesu, ubi statis diebus et horis, quousque per aetatem licuit, assidue in sacro tribunali assidebat. Omnia ex fidei intimo spiritu ac virtutis lance ponderabat, agebat, dimetiebatur. Unde scribunt ex Belgio: " Memoria eius memoria religiosi tranquilli ac modesti, fidelis ac prudentis, virtutisque magnae ". Has animi dotes nobilesque virtutes, nedum aetate imminueret, semper fovit et auxit: verbo et exemplo etiam docuit, praecipue cum per aliquot annos Praefectum rerum spiritualium in ipsa Curia egit. Lucida mente ac iudicii vigore semper, ad mortem usque, potitus est. Dominus erat cum eo et dirigebat omnia consilia eius; et vix dici potest quantum ei debeat tota Societas, praesertim in re oeconomica in melius vertenda, quod quidem etiam ad disciplinam religiosam servandum et ad munera apostolica exercenda quanti valeat nemo est qui ignoret.

Cum anno 1884 in Belgio in Deputatorum coetu proposita esset lex de bonis Religiosorum inquirendis, Pater Maertens, tacito nomine, libellum vulgavit quo iniquum illud consilium solide et scite refutaretur (1).

Lex proposita reiecta est et paulo post ipsum liberale Gubernium loco cedere debuit.

Romae vero, inter assiduas officii sui curas, italicae linguae addiscendae ex regula tam serio incubuit, ut ad se in ea exercendum italice reddiderit optimum libellum " De ratione conversandi cum Deo " a P. Michaele Boutauld S. I. olim editum, quem libellum etiam iterum italice typis edendum curavit (2).

Optatissimo defuncto iusta funebria in villae Tusculanae sacello die 18 augusti mane persoluta sunt, adstantibus quoque aliquibus Patribus ex proximo Collegio " Mondragone " et quibusdam Novitiis e vicina Domo probationis Provinciae Romanae, tunc in " Villa Vecchia " sita. Post meridiem vero, comitante

---

(1) *La Main-Morte et l'enquête sur les Couvents, par un Docteur en droit.* Bruxelles, 1884.

(2) *Metodo di conversare con Dio* del P. Michele Boutauld d. C. d. G.: traduzione della nuova edizione francese emendata e pubblicata colla licenza delle Autorità ecclesiastiche. — Seconda edizione italiana. — Prato, tip. Giachetti, 1911.

Patre Nostro, corpus Romam automobili curru translatum est, et in sepulcro Societatis in Campo Verano tumulatum.

Parvum mnemosynon post eius obitum in Belgio vulgatum pulchre in eius laudem accommodavit quosdam Sacrae Scripturae textus, quos hic quoque referre liceat:

" Est tacens qui invenitur sapiens, sciens tempus aptum: homo sapiens tacebit usque ad tempus „ (Eccli., XX, 5-7).

" [Superiores eius invicem dixerunt]: Num invenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus sit? Universa igitur domorum suarum ei crediderunt. Habitavitque apud eos; et gubernabat creditas sibi domos et universa quae ei tradita fuerant. Fuitque Dominus cum eo et erat vir in cunctis prospere agens „ (cfr. Gen. XLI et XXXIX).

" Quando venit Dominus et posuit rationem cum eo, ei dixit: Euge, serve bone et fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium Domini tui „ (Matth. XXV).

R. I. P.

XIV.

P. HENRICUS ABEL

E PROV. AUSTRIAE

(† 23 nov. 1926).

Gravissimum, quod anno 1926 ad finem vergente non tantum Provinciae Austriae sociis, sed toti Vindobonensium urbi catholicae accidit, obitus est P. Henrici Abel S. I., " Apostoli virorum Vindobonensium „ merito nuncupati.

Mirum quantum divina providentia et praedilectio in huius viri ad Societatem vocatione et in posterioribus eius operibus praefulgeat. — Puero enim nondum nato mater ex haeresi lutherana, pater vero, nobilis Bavariae officialis regius, e secta massonica ad S. Matris Ecclesiae amplexum redierant. Henricus Hofstätter, Episcopus Passaviensis, optime de parentum conversione

meritus, patrini munus gessit in baptismo pueri Henrici Abel die 15 decembris 1843 nati Passaviae, in oppido Bavariae. Ipse hic Praesul puerum octo annorum in Seminarium Passaviense recepit; gravi e morbo reconvalescens studia sua iuvenis prosequebatur et anno 1861 feliciter finivit in Seminario Frisingensi (Freising).

Iamiam tempus instabat explorandae suae vocationis. Praeiudicia illius temporis, quibus adolescens erga Societatem Iesu penitus erat imbutus, Deo ita disponente, stimuli quidam curiositatis ipsi exstiterunt, quibus adactus scholas nostras Oenipontanas frequentare, immo etiam Convictum nostrum ingredi statueret. Ibi Patribus Societatis eorumque spiritu quotidiana consuetudine perspectis, praeiudicia utique mox evanuerant. Ulterius tamen gratia divina in corde alumni operari dignata est per Exercitia spiritualia, quae peregit dirigente P. Hugone Hurter, celebri illo theologo Oenipontano. Mirum in modum iam paulo ante animo commotus erat parva quadam a matre sibi transmissa imagine S. P. N. Ignatii, in cuius parte aversa versibus germanicis impressa legebatur oblatio illa " Suscipe Domine ... „. Nihilominus per unum et dimidium annum acerrimum agebatur certamen inter gratiam ad perfectiora vocantem et naturam a sacrificio propriae libertatis summopere abhorrentem; variis tandem Dei dispositionibus efficaciter conspirantibus victas Magistro vocanti dedit manus, die 31 octobris 1863 aggressus tirocinium Societatis Provinciae Austriae ad Sti. Andreae in valle Lavantina Carintiae, Novitiorum tunc temporis moderatore P. Friderico Krupski qui anno 1810 in Alba Russia Societati nomen dederat.

Die 7 iunii 1874 presbyter initiatus, post completum studiorum curriculum et peractum tertium probationis annum (Tronchiennes), in Collegio externorum Kalksburgensi magisterio fungebatur annis 1879–91. Tum demum illi in vinea Domini parti excolendae applicatus est, quam Deus specialissimo modo ipsi praedestinaverat: viris catholicis Vindobonensibus ad fidem vivam et practicam revocandis. Statum etenim animarum illo tempore luctuosissimum invenit: vita intellectualis et socialis penitus infecta liberalismo, iudaismo, indifferentismo religioso; sacrae aedes magnam partem derelictae; Sacramentorum usus plane neglectus; refrigescens omnino caritas multorum erga S. Matrem Ecclesiam. Huiusmodi nihilominus animos P. Abel, Dei opitulante gratia, sibi conciliabat modo illo suavi ac hilari boni pastoris,

temporalibus quoque seu socialibus ovium suarum miseriis et indigentiis compatiens cor manifestans. Christum Salvatorem solum per Ecclesiam suam tristissimis illis condicionibus mederi posse praeclare ostendebat.

Media vero, quibus P. Abel in animis iuvandis utebatur, haud alia erant quam media illa solida atque probata, Instituti nostri propria; hisce suaviter simul ac fortiter, purissima praesertim intentione applicatis laetos fructus et sperabat et reipsa obtinebat. Praeter operam sacris confessionibus audiendis, missionibus, Exercitiis spiritualibus tradendis impensam, triplicem praesertim industriam exercebat:

Primum quidem locum obtinebant Sodalitates Marianae rite constitutae et directae; quae inter cetera eius opera excellebant cum propter perfectius vitae christianae genus, quod in sodalibus promovebatur, tum propter ea, quae sodalitates praebebant, subsidia ceteris in cura animarum negotiis necessaria; Congregationibus etenim P. Abel sibi comparaverat strenuam Christi Domini militiam, copiam apostolorum laicorum, catholicae fermentum restaurationis. Quarum sodalitatum prima et celeberrima est Congregatio illa mercatorum anno 1890 in Ecclesia S. Augustini erecta.

Accedebant deinde peculiares pro viris conciones, iis anni temporibus, quibus homines magis ad interna trahi solent (ut ante diem commemorationis omnium fidelium defunctorum et tempore quadragesimali) habitae in ecclesia S. Augustini; quarum idea principalis iterum iterumque recurrens erat: reditus ad fidem vivam in vita tam privata quam publica practice exercendam.

Instituebat demum quotannis peregrinationes virorum ad Sanctuarium B. M. V. " Mariazell „ et ad sepulcrum S. Leopoldi, Austriae inferioris Patroni, in oppido Klosterneuburg situm. Quae peregrinationes erant publicae protestationes fidei orthodoxae et pietatis erga Virginem Matrem.

Ita, cum coaevus Dr. Carolus Lueger cives Vindobonenses in rebus politicis ad conscientiam *christianam* reduceret, P. Abel indefesso labore sacerdotali eosdem restituebat vere *catholicos* filios S. Matri Ecclesiae deditos.

Neque tamen laetissimi laborum successus neque magni nominis apud plurimos existimatio detrimentum intulerunt religiosae Patris humilitati et modestiae, quibus fratribus veluti exemplar praeluceret, non quaerens quae sua erant, sed quae Iesu Christi.

Senio demum et laboribus confectus die 23 novembris 1926 a Domino sublatus est e Societate in terris militante.

Quanta viri apostolici aestimatio apud homines catholicos Vindobonenses viguerit et vigeat, exsequiarum manifestavit pompa, a laicis sponte instituta, a Nostris neque promota neque impedita. Inaudita enim hucusque iuvenum et virorum catholicorum turba adstante et comitante corpus demortui ex nosocomio Fratrum Misericordiae, ubi senex variis morbis oppressus peculiaribus medicorum curis frui potuerat, in ecclesia S. Augustini primo collocatum, deinde post aliquot dies ad Ecclesiam Cathedralem Sti. Stephani translatum ; ibique ab Eminentissimo DD. Cardinali Archiepiscopo Gustavus Frid. Piffl sollemni ritu exsequiali peracto, in ecclesia iterum Sti. Augustini reconditum est. Immo nec primores deerant societatis tum ecclesiasticae tum civilis, inter quos RR. DD. Nuntius Apostolicus, RR. Dr. Ignatius Seipel aliique officiales publici. Lugubri habitu induta videbatur tota quasi civitas catholica Vindobonensium ; quae vero pompa funeralis fuit expressio propositi efficacis haereditatem a P. Abel relictam fideliter conservandi, spiritum praesertim genuinum Congregationum B. M. V.

R. I. P.

XV.

LITTERAE QUAEDAM POSTULATORIAE A PATRE NOSTRO DATAE IN CAUSIS SANCTORUM NON DE SOCIETATE.

I. — Pro S. Ioanne a Cruce, Ecclesiae Doctore renuntiando.

Beatissimo Padre,

Alla fine di quest'anno si compiranno due secoli da che il santo e dotto Pontefice Benedetto XIII dell'Ordine dei Frati Predicatori, Vostro Predecessore di felice memoria, accordava i supremi onori degli altari a S. Giovanni della Croce, proclamandolo nella Bolla stessa di Canonizzazione " in mysticae theologiae arcanis scripto explicandis aeque ac Theresia divinitus instructum „. Questa frase, contenuta in un documento di sì grande importanza, aveva anche maggior valore in quanto che veniva scritta al chiudersi di un secolo, che fu il più fecondo forse in lavori di teologia mistica, e all'indomani della condanna dei Quietisti, i quali avevan cercato con tutti i mezzi di coprire i loro detestabili errori coll'usurpato patrocinio del Santo Riformatore del Carmelo.

L'autorità di questo Maestro ben lungi dal diminuire, non ha mai cessato da quel giorno di crescere, di crescere sempre più nella stima di coloro che si consacrano a queste difficili questioni; e l'attuale rifiorire di questo genere di studi, tanto dentro la Chiesa che fuori di essa, non ha fatto che porre ogni dì più in luce la sodezza e la profondità insieme con la prudenza e la sapienza soprannaturale degli insegnamenti di questo insigne contemplativo. In mezzo alle discussioni che si susseguono, tutti, qualunque sia la scuola cui essi appartengono, sono concordi nel voler prendere come loro arbitro questo Maestro insieme con la sua Madre S. Teresa, al cui nome il suo è inseparabilmente congiunto; e tutti si accordano nel considerare l'una e l'altro come due testimoni senza pari della Tradizione della Mistica Cattolica.

Per tali ragioni, poichè il favore straordinario accordato agli studi di mistica corre pericolo di divenire, talora anche per alcuni cattolici, occasione di non pochi errori e di non poche illusioni dannosissime alle anime, sarebbe certo una grazia assai preziosa per la Chiesa il veder decretato il titolo di Dottore a quel Santo che tanto bene ha saputo mettere in guardia le anime contro la vana curiosità delle visioni e di altri favori singolari, richiamandole incessantemente a quello che è il concetto centrale di tutta la vita dello spirito, l'annegazione di sè e l'unione con Dio per mezzo della carità.

Prima si era soliti chiamare S. Dionisio, il discepolo di S. Paolo, fondatore e vanto della teologia mistica; oggi però è dimostrato che gli scritti a lui attribuiti sono a lui di gran lunga posteriori: chi mai dunque meglio di S. Giovanni della Croce potrebbe essere il Dottore della teologia mistica ed il patrono celeste di quanti ne scrutano i difficili misteri?

Per questi motivi, Beatissimo Padre, ed anche più volentieri perchè — come dimenticarlo? — S. Giovanni della Croce, che un giorno doveva essere unito in una stessa apoteosi ai nostri angelici Santi Luigi Gonzaga e Stanislao Kostka, nei primi anni della nostra Compagnia era stato in Medina del Campo alunno del nostro grande educatore Giovanni Bonifacio, io unisco i voti miei e quelli di tutta la Compagnia di Gesù a tutti gli altri che già sono stati presentati a Vostra Santità per supplicarLa umilmente che voglia degnarsi di accordare a S. Giovanni della Croce il titolo di Dottore della Chiesa universale.

Si degni la Santità Vostra accogliere benignamente questa supplica e impartire a noi tutti l'apostolica Benedizione.

Roma, 1 aprile 1926.

Della Santità Vostra
ultimo servo
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

Pro hac epistola a Patre Nostro data gratias amplissimas ipsi agendas curavit Rev.mus Praepositus Generalis Carmelitarum Discalceatorum, in hunc modum:

Al R.mo P. Wlodimiro Ledóchowski
Preposito Generale S. I.

Anche a nome del mio R.mo P. Generale, compio il dovere di ringraziare la P. V. R.ma della lettera che si è compiaciuta indirizzare al S. Padre per domandare il dottorato di S. Giovanni della Croce.

Quella lettera mi ha sinceramente commosso, nel vedere con quali calde e convincenti parole Ella domanda la glorificazione di S. Giovanni della Croce.

Oh come dal cielo deve gioire la S. Madre Teresa nel costatare, per la millesima volta, la sincera e fedele devozione che i figli di Sant'Ignazio hanno sempre nutrito per Essa e per i suoi Scalzi! Ottenga, dunque, S. Teresa, insieme a S. Giovanni della Croce, le migliori grazie e consolazioni per la illustre e benemerita Compagnia ed innanzi tutto per il suo degno e venerando Preposito Generale; ed a noi concedano di nutrire sempre quei medesimi fedeli e riconoscenti sensi che essi stessi nutrirono sulla terra verso la Compagnia.

Che la glorificazione, tanto desiderata, di S. Giovanni della Croce, serva a rinsaldare i vincoli di mutua fraterna amistà che, a gloria di Dio, uniscono sempre le due famiglie.

Ricambiando gli auguri pasquali, presento i miei umili omaggi, mentre baciandoLe la mano, Reverendissimo Padre Generale, sono *ex corde*

Roma, Pasqua 1926.

suo umil.mo figlio e servo
P. Francesco Saverio di S. Teresa
Vice Postulatore Generale dei Carmel. Scalzi.

Causa autem doctoratus S. Ioannis a Cruce ad felicem exitum deducta (1), *ipse Praepositus Generalis Carmelitarum laetum nuntium statim cum Patre Nostro communicare voluit hisce verbis:*

Roma, 1 agosto 1926.

R.mo Padre,

Ho l'onore e il piacere di notificare alla P. V. R.ma che la discussione della causa riguardante il Dottorato di S. Giovanni della Croce, ha avuto esito felicissimo (1).

---

(1) Litterae Apostolicae, quibus Sanctus Carmelita Doctor renuntiatur, paulo post, id est die 24 augusti 1926, datae sunt.

Nel comunicare tale lieta notizia sento il dovere di ringraziare la P. V. R.ma e tutta la benemerita Compagnia della parte viva presa sulla Causa stessa (1).

Con devoti auguri mi professo della P. V. R.ma

Dev.mo
F. Guglielmo di S. Alberto
Prep. Gen.

II. — Pro introducenda causa beatificationis Servae Dei Paulinae Jaricot, Operis Propagationis Fidei institutricis.

Beatissimo Padre,

Il Preposito Generale della Compagnia di Gesù, avendo udito che, felicemente ultimati i processi ordinari sulla vita e virtù della Serva di Dio Paolina Jaricot, se ne domanda l'introduzione della Causa presso la Sacra Congregazione dei Riti, unisce alle molte altre anche la sua supplica e prega umilmente la Santità Vostra che si degni esaudirla.

In questo crescente risveglio di spirito missionario, suscitato da Vostra Santità, e del quale Paolina è stata ai suoi giorni fiamma altrice, quanto più celata tanto più vantaggiosa, è veramente provvidenziale che la memoria dell'umile Fondatrice dell'Opera della Propagazione della Fede sia messa in più chiara luce e le si apra la via della suprema glorificazione.

La Compagnia di Gesù, che nella sua stessa formola fondamentale, presentata da S. Ignazio ai Vostri Predecessori di santa memoria Paolo III e Giulio III, pone la " propagazione della Fede „ come uno dei fini essenziali del suo Istituto, non può che vivamente desiderare tale glorificazione di quest'anima generosa che tutta si sacrificò a sì nobile intento.

Con questo voto e con questa preghiera crediamo d'incontrare l'aggradimento del Vostro Cuore, che con tanti documenti ha mostrato una premurosa sollecitudine per tutto ciò che spetta la propagazione della fede; crediamo di concorrere con tanti

(1) Praeter Litteras Postulatorias Patris Nostri supra relatas, Societas hanc causam adiuvit praesertim voto theologico ex officio a P. Iosepho de Guibert (Prov. Tolos.), in Universitate Gregoriana theologiae asceticae et mysticae lectore, elucubrato.

altri in un affare di grande gloria di Dio e vantaggio delle anime specialmente infedeli; crediamo di verificare le parole di Leone XIII Vostro Predecessore, il quale ebbe a dire: " La memoria di questa pia vergine per più di un titolo è in benedizione nella Chiesa ".

Pio VII la benediceva bambina; un ultimo dei suoi pensieri fu per Pio IX perseguitato: questo suo affetto alla Santa Sede impresse, come dice la sua biografia, un carattere " romano " a tutte le sue opere. La benedizione dei Sommi Pontefici era la somma di tutti i suoi voti.

Con gli stessi sentimenti, prostrato al bacio del sacro Piede, domando umilmente l'Apostolica Benedizione.

Roma, 15 dicembre 1926.

Della Santità Vostra
ultimo servo
WLODIMIRO LEDÓCHOWSKI
Prep. Gen. d. C. d. G.

XVI.

LITTERAE QUAEDAM OFFICIOSAE PATRIS NOSTRI ANNO 1926.

I. — Ad Sodales Congregationum Marianarum Hungariae, Congressum nationalem Budapestini celebraturos.

Sodales in Domino dilectissimi,

Maxima cum animi voluptate accepi Congregationes Marianas Hungariae diebus Pentecostes Budapestini congressum esse celebraturas in eoque praeter alia etiam illud acturas, ut foedere quodam artius coniungantur. Quod consilium, cum sit plane congruens antiquis Sodalitatum traditionibus et ad fines apostolicos consequendos valeat quam quod maxime, libentissime sane laudo approboque. Etenim talia foedera iam saeculo XVI Congregationes Marianae inter se inierunt quo efficacius, viribus mutuo auxilio auctis et corroboratis, immanes hostium Ecclesiae impe-

tus propulsarent atque prosternerent. Nostra autem aetate vel adversarios esse pauciores vel pugnam minus acrem vel bona quae in discrimen vocantur non esse summa quaeque ac sanctissima quisnam adseveraverit? Quapropter eadem vis et efficacitas quam olim Sodalitates in mutua consociatione quaerebant, etiam his temporibus ex simili foedere iure meritoque speranda est.

Verum frustra Sodalitates ad fidem et mores defendendos adlaborarent, nisi ipsae praeprimis illo ducerentur spiritu quo penitus imbuta esse Congregatio Mariana debet: genuina inquam pietate, intrepida fidei professione, omnium denique vitae christianae virtutum ad exemplum exercitio. Hunc spiritum prae se tulisse antiquas Hungariae Sodalitates nemo qui annales Congregationum Marianarum viderit ignorat, et hunc spiritum illis addidisse vires ad tam multa tamque praeclara pro Ecclesia civilique societate in regno Hungariae perficienda iidem annales illustribus paginis perenni prodiderunt memoriae.

Quae cum ita sint, et vehementer cupio et firmiter confido congressum vestrum etiam id effecturum esse, ut principia studiumque virtutum quae verum Congregationis spiritum constituunt, omnium vestrum animis altius imprimantur. Atque hoc modo si antiquas Sodalitates imitabimini, et interno spiritus et externo foederis robore confirmati ad illarum etiam victorias repetendas valebitis, et, celsissimis Episcopis moderantibus, grandia pro Sancta Matre Ecclesia perficere poteritis. Quem in finem congressui vestro perlibenter benedico et pro eius eventu quam prosperrimo trecenta Missae Sacrificia applico, enixe rogans sanctissimam Dei Genitricem ut quemadmodum olim in coenaculo Christi discipulos ad uberiores Spiritus Sancti gratias recipiendas praeparavit, ita etiam vos materna intercessione iuvet ad consilia, eodem afflante Spiritu, saluberrima capienda.

Romae, die 21 aprilis 1926.

Omnium Vestrum
Servus in Christo addictissimus.
WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI
Praep. Gen. Soc. Iesu.

II. — Ad Ill.mum ac Rev.mum DD. Ludovicum Le Hunsec, Episcopum tit. Europensem, Superiorem Generalem Congregationis Sancti Spiritus nuper electum.

Monseigneur,

Au moment où Votre Grandeur vient de prendre en mains la succession du Vénéré Mgr. Le Roy comme Supérieur Général des Pères du St. Esprit, je tiens à lui exprimer mes très respectueuses félicitations, mais surtout, je me fais un pieux devoir de lui donner l'assurance que mes prières ne lui manqueront pas pour l'aider à porter vaillamment la charge que la divine Providence vient de placer sur ses épaules.

Il m'est très doux aussi, Monseigneur, de saisir cette heureuse occasion de renovouveler les liens de fraternelle charité qui unissent la Compagnie de Jésus à la Congrégation des Pères du St. Esprit. Nous ne saurions oublier avec quelle noble générosité votre famille religieuse nous a témoigné, aux heures de nos plus douloureuses épreuves, une si étroite union, une si intime affection que, plus d'une fois, nos persécuteurs et nos ennemis l'ont enveloppée elle-même dans la réprobation et la haine dont ils nous poursuivaient.

Et dans le présent encore, Monseigneur, c'est pour nous et pour notre Université Grégorienne un honneur et une marque de haute confiance, dont nous sommes profondément touchés, que de voir la Congrégation des Pères du St. Esprit nous inviter à collaborer avec elle à la formation des jeunes Séminaristes Français et même de ses propres enfants.

Daignez, Monseigneur, nous donner part à vos bénédictions et agréer l'hommage du profond respect avec lequel j'ai l'honneur d'être

Rome, le 6 août 1926.

de Votre Grandeur
le très humble serviteur en N.-S.
WLODIMIRE LEDÓCHOWSKI
Prép. Gén. d. l. C. d. J.

XVII.

CAUSAE ET CULTUS SANCTORUM SOCIETATIS

ANNO 1926.

S. P. IGNATIUS :

31 iulii 1926. — In pago *La Storta*, decimo octavo circiter ab Urbe lapide, ubi S. P. N. Ignatius celeberrimam revelationem habuit et dulcissima illa Domini verba audivit : " Ego vobis Romae propitius ero „, prope sacellum iamdiu illic exstructum, nova ecclesia paroecialis non sine Societatis auxilio aedificari coepta est. Cum enim anno 1920, occasione canonizationis S. Margaritae Mariae Alacoque, oblationes a nostro praesertim *Nuntio SS. Cordis* Americae Septemtrionalis ad templum novensili Sanctae Romae dicandum collectae fuerint, sed intra Urbis moenia ad hunc scopum adhiberi posse vix speraretur, eas Pater Noster, assentiente Summo Pontifice, ad necessariam illam paroecialem ecclesiam in loco Societati carissimo et intra Romani Municipii fines exstruendam applicavit, quae ideo a S. Margarita Maria Alacoque primum nomen mutuabitur, addita tamen etiam S. P. N. Ignatii veneratione peculiari.

Primum novi templi lapidem, eiusdem S. Patris Ignatii die festo, iecit Eminentissimus Cardinalis Franciscus Ehrle S. I., nomine et ex commissione Cardinalis Antonii Vico, Episcopi Portuensis ac Sanctae Rufinae, in cuius dioecesi ille pagus invenitur, adstante cum aliis praeclaris viris etiam Patre Nostro. Angularis autem ille lapis haec verba papyro inscripta custodit :

DEO · OMNIPOTENTI
IN · HONOREM · SANCTAE · MARGARITAE · M · ALACOQUE
ET · SANCTI · IGNATII · LOIOLAEI
QUI · OLIM · PRIMUM · AD · URBEM · ACCEDENS
HIC · PROPE · VISU · ET · POLLICITATIONE · CHRISTI · DOMINI
RECREATUS · EST
ANTONIUS · VICO · CARD · EPISC · PORTUENSIS
HANC · AEDEM · CUM · INCHOARET
PER · V · E · FRANCISCUM · EHRLE · E SOC · IESU
DIACONUM · CARDINALEM · SANCTI · CAESARII
LAPIDEM · AUSPICALEM · POSUIT
PRID · CAL · AUG · AN · MDCCCCXXVI

S. Franciscus Xaverius:

12 maii 1926. — Sacra Rituum Congregatio approbat formulam adhibendam in benedictione aquae S. Francisci Xaverii eiusque usum concedit " Praeposito Generali Societatis Iesu aliisque eiusdem Societatis sacerdotibus „ (1). – Pater Noster autem, hanc facultatem cum Societate communicans litteris die *30 oct. 1926* datis, asserit " pristinum huius aquae usum, nunc proh dolor paene obsoletum, olim bene notum et salutarem „ fuisse (2); et sane frequens huius aquae mentio habetur exempli gratia in relationibus missionum P. Pauli Segneri senioris († 1694), et etiam inter gratias et miracula S. Francisci Xaverii intercessione obtenta in libello " *Novena di S. Francesco Saverio* „ a P. Paschali De Mattei conscripto et saepius edito (3), qui Pater fuit Praepositus Provinciae Neapolitanae annis 1761–1766.

16 oct. — Yamaguchi, in Iaponia, monumentum in honorem S. Francisci Xaverii erectum sollemni ritu detegitur. Plura de hac caeremonia infra dicemus (4).

S. Petrus Canisius:

25 maii 1926. — Templum Collegii Germanici et Hungarici in Urbe sollemni ritu ad honorem Sancti Doctoris dedicatur, consecrante ipso Urbis Vicario E.mus Cardinali Basilio Pompilj (5).

26 nov. — Magna tabula a Guidone Francisi picta, qua Sanctus Doctor cum Melanctone disputans exprimitur, a Postulatore generali, P. Aureliano Fajella, nomine Societatis Summo Pontifici oblata est in gratiarum actionem et mnemosynon peractae canonizationis.

De celebrationibus Canisianis variis locis hoc anno habitis fusius supra retulimus (6).

S. Aloisius Gonzaga:

13 iunii 1926. — Summus Pontifex dat pulcherrimam Epi-

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 410.
(2) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 532.
(3) Cfr. " Cinque novene del P. Pasquale De Mattei „ Roma, 1833, pag. 249.
(4) V. infra, pag. 670.
(5) V. supra, pag. 571.
(6) V. supra, pp. 566–574.

stolam Apostolicam *Singulare illud* de Angelico iuventutis Patrono (1).

15 iunii. — Peculiares facultates liturgicae conceduntur pro centenario Aloisiano in templo S. Ignatii Romae (2).

13 nov. — Facultates peculiares et indulgentiae pro eodem centenario conceduntur sine limitatione loci (3).

27–31 dec. — Sollemnia bis saecularia canonizationis S. Aloisii Romae magna pompa ingentique civium et peregrinorum concursu celebrantur (4).

Ceterum, de toto hoc Aloisiano centenario, et saepius supra dictum est (5), et plura in proximo " *Memorabilium* „ volumine dicentur.

S. Stanislaus Kostka :

5 maii 1926. — Decem dominicis diebus festo S. Stanislai praemittendis indulgentia plenaria ad septennium conceditur (6).

13 iunii. — In Epistola Apostolica *Singulare illud* Summus Pontifex etiam S. Stanislaum eiusque centenarium commemorat (7).

29 oct. — Privilegia liturgica ad quinquennium conceduntur altari S. Stanislai in templo S. Andreae ad Quirinalem (8).

13 nov. — Festum S. Stanislai peculiari cum sollemnitate Romae celebratur (9).

20 dec. — Privilegia et indulgentiae conceduntur pro triduanis festis centenariis canonizationis S. Stanislai in templo S. Andreae ad Quirinalem (10).

29–31 dec. — Simul cum S. Aloisio etiam S. Stanislaus sollemni ritu colitur occasione memoriae bis saecularis utriusque canonizationis (11).

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 421–433.
(2) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 466.
(3) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 461.
(4) V. supra, pp. 537–547.
(5) V. supra, pp. 528–530, 537–549, 559–562.
(6) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 408.
(7) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 432.
(8) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 472.
(9) V. supra, pp. 538-539.
(10) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 475.
(11) V. supra, pp. 539, 540, 543.

Ceterum, supra non semel de hoc centenario diximus (1), et plura in proximo *Memorabilium* volumine dicemus.

B. Andreas Bobola:

12 ian. 1926. — Corpus Beati Martyris, quod ex Russia Romam delatum esse supra dictum est (2), hodie in diaeta Postulatoris generalis apud templum SS. Nominis Iesu, coram officialibus S. Rituum Congregationis mundatum et novis vestibus indutum, nova urna includitur, ex qua per crystalla sacrae reliquiae adhuc integrae et gloriosis martyrii cicatricibus insignitae cerni possunt. Nova haec urna in templo SS. Nominis Iesu eodem loco atque pristina exponitur, id est apud altare S. Francisci Xaverii, indefessa fidelium veneratione et fiducia Beatum Christi Martyrem prosequente.

B. Ioannes Baptista Zola, *Martyr in Iaponia* († 1626):

12 dec. 1926. — Occurrente hoc anno memoria ter saeculari gloriosi martyrii, quod pro Christo subiit in Iaponia B. Ioannes Baptista Zola, nostrae Societatis sacerdos (3), eius urbs natalis Brixia (*Brescia*), in Provincia Veneta, tanto filio peculiares honores tributos voluit. In templo B. M. V. Gratiarum, quod antiquo Societatis Collegio adnexum erat sed nunc clero saeculari commissum, sollemnis Beati Martyris commemoratio habita est die 12 decembris 1926, magno totius civitatis concursu. Praeterea eius domus paterna, hac occasione, marmoreo lapide ornata est ad illustrem civem posterorum quoque venerationi commendandum.

B. Robertus Bellarmino:

Conficiuntur hoc anno processus apostolici in Curiis episcopalibus Colocensi in Hungaria et Barcinonensi in Hispania de duobus miraculis, quae dicuntur patrata a Deo per intercessionem Beati Cardinalis, quaeque ad eius canonizationem obtinendam proponentur.

---

(1) V. supra, pp. 528, 529, 538, 539, 541.

(2) V. supra, pp. 154, 166–167.

(3) Unus fuit e Martyribus qui cum B. P. Francisco Pacheco in urbe Nangasaki die 20 iunii 1626 igni combusti sunt; eorum festum die 20 iunii quotannis celebratur.

BB. MARTYRES CANADENSES:

27 ian. 1926. – Officium et Missa BB. Ioannis de Brébeuf, Isaaci Iogues eorumque Sociorum Martyrum approbantur (1).

26 nov. — Magna tabula picta, cuius pars superior caelesti gloria a Domino donatos exhibet, pars vero inferior eorum cruciatus commemorat, Summo Pontifici oblata est Societatis nomine a P. Aureliano Fajella, Postulatore generali, in gratiarum actionem et mnemosynon peractae beatificationis. Beatissimus Pater, pulchram tabulam admiratus, peculiarem benedictionem impartire dignatus est pictori absenti, Fr. Coad. Martino Coronas, e Provincia Aragoniae, cui paulo post etiam nunisma a se benedictum mittendum concessit.

De quibusdam festis in honorem horum Beatorum variis locis habitis fusius supra retulimus (2).

BB. MARTYRES ALBENACENSES (*Martyres Eucharistiae*):

9 febr. 1926. — Congregatio *antepraeparatoria* de martyrio, causa martyrii et signis Servorum Dei Iacobi Salesii et Gulielmi Saltamochii e Societate Iesu, habita apud E.mum Card. Vincentium Vannutelli, causae Ponentem.

23 mart. — Congregatio *praeparatoria* in aedibus Vaticanis de eadem causa habetur.

11 maii. — Congregatio *generalis* Sacrorum Rituum coram SS. D. N. Pio Papa XI in aedibus Vaticanis cogitur.

22 maii. — Coram Summo Pontifice sollemne editur decretum, quo asseritur constare de martyrio et causa martyrii eorundem Servorum Dei, qui exinde *Venerabilium* titulo insigniuntur (3).

1 iun. — Congregatio de "*tuto*" coram Summo Pontifice.

3 iun. — Sollemne decretum de "*tuto*" legitur coram Summo Pontifice (4).

6 iun. — Venerabiles Servi Dei Iacobus Salesius et Gulielmus Saltamochius e Societate Iesu, Eucharistiae Martyres Albenacenses, in Basilica Vaticana Beati renuntiantur (5).

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 397–404.
(2) V. supra, pp. 575 sq.
(3) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 410–411.
(4) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp- 413–415.
(5) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 416–421. — V. etiam supra, pp. 525–527

12-14 iun. — Triduanae festivitates Romae in templo SS. Nominis Iesu habentur.

BB. Martyres Parisienses anni 1792:

13 iul. 1926. — Habitis iam Congregationibus *antepraeparatoria* (23 oct. 1923) et *praeparatoria* (15 nov. 1925), hodie in aedibus Vaticanis Congregatio *generalis* Sacrorum Rituum cogitur coram Summo Pontifice, in qua de martyrio et causa martyri agitur Servorum Dei Martyrum Parisiensium anni 1792.

1 oct. — Sollemne editur decretum de martyrio centum nonaginta unius Servorum Dei (inter quos viginti tres " iam Societatis Iesu sodales „ numerantur), qui deinceps usque ad beatificationem " *Venerabiles* „ vocari possunt ac debent. De reliquis vero duobus et viginti (inter quos nullus erat e Nostris) decernitur causae dilatio ad ulteriores probationes adducendas (1).

5 oct. — Congregatio de " *tuto* „ cogitur coram Sanctissimo in aedibus Vaticanis.

7 oct. — Decretum de " *tuto* „ legitur coram Beatissimo Patre (2).

17 oct. — In Basilica Vaticana Venerabiles illi Martyres Beati renuntiantur (3).

Ven. P. Aloisius Solari:

23 aug.-4 sept. 1926. — Cum antiquum Societatis templum Beneventanum (*Benevento*, Italia), permittente auctoritate ecclesiastica, demoliendum sit ad forum media in urbe amplificandum, Praeposito Provinciae Neapolitanae curante, effossae sunt exuviae Venerabilis P. Aloisii Solari, in ea urbe vita functi die 27 augusti 1829 in eoque templo sepulti: mens est eas deinde Neapolim transferre et in templo Societatis condere. Ob longam illius templi incuriam (religioso enim usui non iam erat addictum et Societas ab illa urbe iam diu abest), Venerabilis Patris sepulcrum multa detrimenta passum erat, ita ut ne cognosci quidem potuisset nisi locus ab historicis indicatus aliaque indicia fidem fecissent.

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 436-438.
(2) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 439-442.
(3) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 446-459. — V. etiam supra, pag. 527.

Non ingratum erit ipsum *instrumentum*, quod vocant, istius recognitionis hic exscriptum legere:

Curia Arcivescovile di Benevento.

Il giorno 2 settembre 1926 io qui sottoscritto debitamente autorizzato dalla Rev.ma Curia Arcivescovile di Benevento accompagnato dal Notaio della stessa Curia Mons. Raffaele Campanella alle ore 16 mi sono portato nel locale in demolizione che era l'antica Chiesa del Gesù sita al Corso Garibaldi e là ho trovato il M. R. P. Giuseppe De Giovanni S. I. col fratello Duca di S. Severina Vincenzo De Giovanni venuti appositamente da Napoli in rappresentanza del P. Provinciale dei Gesuiti, e sono presenti anche il Can. Mons. D. Gaetano Cangiano col fratello Dott. Giovanni Medico Chirurgo inviato dalla Curia. E' presente anche Mons. D. Antonio De Rienzo testimone. Anzitutto ci siamo portati avanti la prima fossa che sta nel centro con l'apertura più prossima all'altare maggiore e là abbiamo constatato che il coverchio di marmo, sebbene sollevato, copriva abbastanza bene la bocca della sepoltura e ho interrogato il R. P. De Giovanni se trovavasi nelle condizioni in cui l'aveva aperta giusta il verbale rilasciato esistente in Curia, e avendone avuta risposta affermativa alla presenza dei testimoni, ho dato il giuramento al Dott. Cangiano perchè compia il suo mandato con coscienza religiosa. Dopociò si è alzato il coverchio e sono scesi nella fossa il P. De Giovanni, il Dott. Cangiano, il Can. Cangiano ed altri operai, e tutti hanno dichiarato che niente è stato cambiato circa la situazione del cadavere come l'avevano lasciato il 23 agosto.

Dopo ciò si è proceduto al sollevamento dei residui di legno della prima cassa appoggiata al muro della fossa verso la porta della Chiesa e si è notato un residuo di teschio con capelli che guardava il cornu evangelii dell'altare maggiore con vicino un pezzo di stoffa che doveva essere la berretta, e poichè la posizione del cadavere corrispondeva alla indicazione tramandata circa la sepoltura del Ven. P. Luigi Solari della Compagnia di Gesù morto in Benevento il 27 agosto del 1829 in concetto di santità, pel quale si è espletato il processo informativo e trovasi in corso quello apostolico, il Dott. Cangiano ha cercato di identificare le sue ossa, ma non è stato possibile perchè tutto disfatto, e non si è potuto raccogliere altro che terra e pezzi di stoffa, suole di scarpe unite a pezzi di legno disfatto; il tutto si è messo in un lenzuolo e si è portato fuori della fossa.

Fuori su due pezzi di legno, che dovevano formare la parte bassa del coverchio della cassa, si son potute leggere, fatte con strisce di trina inchiodata le seguenti lettere e numeri: A. D. 18; altri due numeri non bene precisati possono leggersi per 2 e 9. Il tutto si è messo da parte e si è proceduto ad un esame più attento delle macerie della prima cassa, che con maggiore probabilità poteva essere quella del P. Solari. Ma il lavoro è stato inutile, perchè nessun segno che assicurasse la identificazione del cadavere è venuto fuori e dalla relazione si è avuto solo un residuo di teschio con capelli neri attaccati, piccole ossa non ancora del tutto disfatte, terra e pezzi di stoffa e cuoio.

Il giorno seguente alle ore 8,30 il M. R. P. De Giovanni, col fratello Duca di S. Severina, alla presenza di Mons. Giulio Paragona ha continuato la esumazione dei cadaveri dalla stessa fossa, dalla quale sono venuti fuori sempre altri residui di casse, stoffa, cuoio e terra risultante da disfacimento di corpi umani;

e tutto questo si è messo da parte, volendo il P. De Giovanni con pietoso pensiero provvedere al trasporto di questi residui, che indubbiamente appartengono a confratelli della Compagnia; e perciò ha fatto costruire due casse per farle trasportare nel soccorpo della Chiesa Madre del Camposanto offerto dal Municipio di Benevento. Per i residui del P. Luigi Solari, raccolti nel lenzuolo si è d'accordo stabilito che si riuniranno in una cassa di zinco da suggellarsi con la dicitura, " Cineres qui putantur Ven. P. Aloysii Solari qui obiit Beneventi anno 1829 die 27 augusti ".

Nelle ore pomeridiane di questo stesso giorno 3 settembre 1926 si è proceduto oltre alla esumazione dei cadaveri fino alla evacuazione intera di tutta la fossa.

Esaurito così il compito delle ricerche per la identificazione del corpo del Ven. P. Solari, poichè resta in tutti i presenti la convinzione che il suo corpo fu seppellito proprio nella fossa ora evacuata, e poichè parecchie circostanze concorrono per avvalorare l'ipotesi che il primo cadavere esumato sia proprio quello del Ven. P. Solari, si conviene da tutti che i resti raccolti nel lenzuolo nel primo giorno debbonsi chiudere nella cassa di zinco appositamente preparata, e perciò nella stessa si sono deposti la parte del cranio avvolta in ovatta, le piccole ossa in disfacimento, i brandelli della stoffa, la berretta e tutta l'altra cenere raccolta nel lenzuolo. Nella stessa cassa si sono posti i due pezzi di legno con le cifre come sopra si è detto. La cassa di poi si è chiusa alla presenza di tutti i sottoscritti con due lucchetti le cui chiavi sono state date al P. De Giovanni. Dopo con trine bianche la stessa cassa è stata avvolta una volta per lungo e due per largo, e sulle incrociature superiori si sono apposti due suggelli in cera lacca rossa con le cifre A. F. — Finita questa operazione, poichè il P. De Giovanni unito al fratello Duca di S. Severina ha espresso il desiderio di trasportare nella casa dello stesso Duca per tenerla in luogo separato e deposito provvisorio, perciò in forma tutta privata la cassa è stata trasportata in casa del Duca di S. Severina in via 3 Settembre in Benevento.

Oggi poi 4 settembre in seguito ad accordi presi con le autorità civili, con camions municipali si sono portati al Cimitero della città la terra e le tavole messe fuori dalle fosse della Chiesa del Gesù dopo che lo stesso P. De Giovanni le ha benedette. Le ossa poi sono state raccolte in due casse di legno e col carro funebre municipale si son portate al Camposanto. Là le ceneri e le tavole sono state messe in una fossa scavata nel recinto del camposanto, mentre le due casse dopo la santa Messa celebrata dal M. R. P. De Giovanni sono state situate nel soccorpo della chiesa madre del Camposanto.

Esaurito così il compito affidatomi si è redatto il presente verbale che viene firmato dai presenti.

Seguono le firme:

Achille Can. Fierro, *delegato*.	Giovanni Dott. Cangiano.
Raffaele Mons. Campanella, *notaio*.	Giulio Mons. Paragone.
Gaetano Can. Cangiano, *testimone*.	P. Giuseppe De Giovanni S. I.
Antonio Can. De Rienzo "	Duca Vincenzo De Giovanni di S. Severina.

Servi Dei Martyres Paraquarienses :

Occasione reditus Societatis in Paraquariam, de qua supra diximus (1), iterum agi coeptum est de causa beatificationis impensius promovenda Servorum Dei PP. Rochi González de Santa Cruz, Alphonsi Rodriguez et Ioannis del Castillo, e nostra Societate, qui in odium fidei, ut fertur, a barbaris Paraquariensibus mense novembri anno 1628 necati sunt. — Cum antiquus Processus de eorum martyrio non ita pridem in archivo nationali illius Reipublicae inventus sit, cumque RR. DD. Symphorianus Bogarin, Episcopus Paraquariensis, causam sibi assumpserit promovendam, spes non imprudens foveri potest fore ut ulterius feliciter procedatur: ipse Parochus ecclesiae cathedralis designatus est, qui huius causae Postulatoris munere fungatur (2).

S. D. P. Paulus Ginhac :

18 mart. 1926. — Litterae Remissoriales Sacrae Rituum Congregationis ad processum apostolicum de virtutibus in specie instruendum hodie missae sunt P. Iulio Peyré (Prov. Tolos.), Residentiae Palensis (Pau) Superiori eidemque Vicepostulatori causae beatificationis P. Pauli Ginhac. — Acceptis hisce litteris, apostolicus processus in Curia archiepiscopali Albiensi statim peragi coepit ita ut proximo mense augusto ineunte ab ipso Vicepostulatore iam Romam deferri potuerit, Sacrae Rituum Congregationi subiiciendus.

20 iulii 1916. — Castris (Castres) in Gallia, ubi Dei Famulus die 10 ianuarii 1895 mortuus est, adstante cum ecclesiasticis iudicibus curiae Albiensis etiam P. Aureliano Fajella, Postulatore generali, qui Roma illuc a S. Rituum Congregatione delegatus advenerat, habita est *recognitio* canonica exuviarum P. Pauli Ginhac. Cuius caeremoniae cum plena relatio ad nos missa sit, non est cur diutius immoremur in ea enarranda, sed satis erit hic integram illam relationem exscribere:

---

(1) V. supra, pp. 598-608.

(2) V. supra, pag. 608.

La cause du R. P. Paul Ginhac, S. J.

La Reconnaissance canonique de son Corps.

Le procès apostolique sur les vertus et les miracles du P. Paul Ginhac est terminé. Les dépositions des témoins ont été recueillies. Il ne reste plus que l'exhumation et la reconnaissance canonique du corps du serviteur de Dieu. Cette cérémonie émouvante a eu lieu à Castres le 20 Juillet dernier.

Avant d'exposer les reliques d'un saint à la vénération des fidèles, l'Eglise prend toutes les précautions possibles pour éviter l'erreur et démasquer la supercherie. On en jugera par le récit suivant.

La veille du jour où on devait procéder à l'exhumation, le tribunal ecclésiastique s'est réuni pour choisir deux médecins, dont l'un chirurgien, et quatre ouvriers, auxquels il fallait faire prêter serment. Ils sont venus, et, la main sur l'Evangile, ils ont juré d'accomplir consciencieusement la tâche qu'on leur demandait. Rendez-vous fut donné pour le lendemain matin.

A huit heures trente, les Juges étaient à la porte du Cimetière. Ils demandent où est le tombeau du P. Ginhac. Qui peut avec certitude leur indiquer sa place? Deux témoins se présentent; ils attestent avec serment qu'ils étaient présents le jour où l'on a mis le corps du Père dans le caveau et qu'ils peuvent en montrer l'endroit.

Sur cette double affirmation, le tribunal, suivi des ouvriers assermentés, se dirige vers le tombeau. C'est un bel édifice en granit du Sidobre, haut de 4 mètres sur 3 de large. Une plaque ovale de marbre portant le nom du P. Ginhac indique que le corps est en haut. Un échafaudage a été dressé derrière. C'est par là qu'on va retirer le cercueil.

Mais avant de commencer, Mr. l'Archiprêtre de Castres, président du tribunal, déclare aux assistants qu'il est défendu, sous peine d'excommunication, d'enlever quoi que ce soit, même par dévotion, du tombeau, du cercueil, du corps du serviteur de Dieu, ou même d'y introduire un objet quelconque. Puis il ordonne au maçon d'ouvrir le caveau.

On trouve la bière en bois désagrégée et pourrie par endroits. Heureusement il y avait la seconde bière en zinc.

Avec grande précaution elle est descendue et déposée dans un fourgon qui la transporte dans l'église de l'ancienne Résidence des Pères Jésuites, Allée Corbière.

Un groupe de prêtres et de fidèles l'accompagne en silence. Sur le parcours des gens se découvrent, quelques-uns se mettent à genoux. Dans la cour d'entrée attendent une vingtaine de prêtres, et, à l'intérieur de l'Eglise, une centaine de fidèles prient avec ferveur.

On pénètre dans la sacristie. Sur une table recouverte d'un linceul blanc la bière est déposée. Un ouvrier, armé de cisailles, attaque le couvercle en zinc. Minute impressionnante. Que va-t-on voir? que va-t-on trouver? Enfin le cercueil est ouvert; tout le monde se penche et regarde.

Le corps apparait complet, dans la situation où il a été mis dans la bière, la tête inclinée du côté gauche, légèrement fléchie, les mains encore jointes, quoique complètement détachées de l'avant-bras gauche et encore adhérentes à l'avant-bras droit. La soutane est parfaitement reconnaissable, complète, et s'effrite sous la pression. Les jambes sont chaussées de bas dont le tricot est

encore apparent et complètement adhérent au squelette. On voit un reste de pansement au dessous du genou droit. La tête est revêtue de la peau desséchée et repose sur l'oreiller. Les cheveux semblent avoir poussé un peu, d'après les souvenirs de l'Infirmier et du Docteur qui l'assistèrent à ses derniers moments (1).

Autour du cercueil le défilé commence. Chacun veut voir, chacun veut faire toucher au corps du Serviteur de Dieu des chapelets, des Crucifix, des médalles, des linges précieux. On amène des malades, des enfants, des personnes d'âge mûr. C'est un spectacle impressionnant de foi et de piété profonde.

L'heure est venue pour les experts d'examiner le corps et de rediger un rapport sur son état présent. Afin qu'ils puissent se livrer à ce travail avec le recueillement voulu, on fait sortir tout le monde, sauf les membres du tribunal et le notaire, chargé d'écrire, sous leur dictée, les observations des deux Docteurs.

Quand le rapport est achevé, lu à haute voix et signé par chacun des médecins, il s'agit de procéder á la *réinhumation*.

On avait songé d'abord à échanger les vieux habits contre des vêtements neufs. Mais la crainte de briser le squelette y a fait renoncer. On s'est contenté de remplacer l'oreiller par un coussin de soie bordé d'un ruban d'or et d'étendre sur le corps le devant d'une soutane.

Quand il a été déposé dans la double bière neuve, les fidèles qui attendaient dans la chapelle et au dehors ont été admis à défiler de nouveau autour du Serviteur de Dieu, et les mêmes témoignages de piété et de confiance se sont renouvelés.

Au moment de fermer la bière, on a placé, à l'intérieur, roulé dans un étui de zinc, un parchemin portant la mention suivante, signée d'un certain nombre de témoins:

Corpus R. P. Ginhac, S. I.
recognitum est coram Iudicibus
delegatis et testibus infrascriptis
die 20 Iulii 1926.

Un plaque sur le couvercle atteste aussi que la reconnaissance canonique a eu lieu le 20 Juillet 1926.

Avant de porter le cercueil dans le nouveau caveau, on l'a entouré, en forme de croix, d'un large ruban de soie rouge, et, à la jonction des deux extrémités, un cachet de cire, portant les armes de Monseigneur l'Archevêqne, a été apposé.

Puis quatre ecclésiastiques, prenant chacun une poignée, ont porté le précieux dépôt dans l'Eglise.

Traversant le chœur, ils sont descendus dans la nef, sous les regards d'une foule émue, et ont pénétré à droite, dans la chapelle de St. Ioseph. En face du petit autel, une fosse avait été creusée avec quatre murs bien cimentés. C'est là que le P. Ginhac va reposer provisoirement. Une simple plaque en marbre porte son nom, avec les dates de sa naissance et de sa mort et la devise qui se trouvait sur son premier tombeau: *Mihi vivere — Christus est!*

Les fidèles viendront le prier dans cette église où pendant douze ans il a tant prié lui-même et édifié par sa piété ceux qui le voyaient.

---

(1) Hi duo, scil. Fr. Infirmarius et Medicus, huic caeremoniae aderant et de eximiis Servi Dei virtutibus magna cum admiratione disserebant.

NUNTII BREVIORES ET STATISTICAE

I.

CHRONICON CURIAE SOCIETATIS.

ANNO 1926.

3 ian. — P. Marius Grimaldi (Prov. Taur.), Expositioni Missionariae Vaticanae addictus, hac fere expleta, in Provinciam redit, rei missionariae per Italiam divulgandae mox applicandus.

10 ian. — Coram Summo Pontifice in Musaeo Vaticano Expositioni Missionariae finis imponitur; diplomate ac numismate « bene merenti » nuncupato, quod peculiari ratione ad id excusum erat ut qui Expositionem adiuvissent perenne paternae Suae Sanctitatis benevolentiae et grati animi documentum reciperent, e Nostris donantur in primis Pater Noster, nomine totius Societatis tamquam Ordinis Missionarii, deinde omnes Missiones quae res exponendas miserant, singuli quoque Patres ac Fratres qui ad ipsam Expositionem sive parandam sive visitatoribus declarandam operam navaverant inter quos etiam nonnulli Patres ac Fratres ad Curiam pertinentes (1).

13 ian. — Fakhry Pacha, Aegypti Regis gener, Patrem Nostrum invisit (2).

16-30 ian. — P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.), Moderator generalis delegatus Apostolatus Orationis, Patrem Nostrum aditurus Ro-

---

(1) Ex *Annuaire Pontifical Catholique* anni 1927 (pp. 605-607), Parisiis edito, exscribimus hunc elenchum Nostrorum qui nominatim et ad personam numismate « bene merenti » hoc occasione donati sunt:

a) *Patres*: Ioannes Delattre, Petrus Tacchi Venturi, Franciscus Rodrigues, Iosephus Gianfranceschi, Pius Scatizzi, Henricus Pinard de la Boullaye, Bernardus Arens, Richardus Cirera, Eduardus Goulet, Edelbertus Blatter, Petrus Boetto, Laurentius O' Keeffe, Petrus Basterra, Hilarius Azzolini, Henricus Dubois

b) *Fratres*: Aloisius Sartirana, Angelus Mulatti, Raphael Iraci, Paschalis Cilia, Esdras Oteiza, Narcisus Baguná, Eugenius Otrebski, Antonius Arribas, Ioannes Bapt. Weidinger, Ioannes Bapt. Barlassina, Franciscus Gorostiza.

Hi omnes, si unum alterumve excipias qui iam discesserat, ex ipsis Beatissimi Patris manibus diploma ac numisma exceperunt.

(2) V. supra, pag. 549.

mam venit et nobiscum commoratur. — Cum iam deliberatum sit et decretum sedem Apostolatus Orationis Tolosa Romam esse transferendam, die *24 ianuarii* Pater Noster Praepositos Provinciarum Galliae hac de re certiores facit (1), et die *30 ianuarii* idem Moderator generalis delegatus Tolosam redit translationem paraturus.

17-21 ian. — R. P. Ioannes Bapt. Battisti, Provinciae Venetae Praepositus, ad negotia tractanda adest.

25-26 ian. — Hospes recipitur R. P. Iaphet Stan. Jollain, Praepositus Provinciae Neapolitanae.

27 ian. — P. Richardus Cirera, qui ab anno 1923 in Expositione Missionaria Vaticana paranda Societatis partes egregie gessit (2), Expositione illa feliciter expleta, in suam Aragoniae Provinciam redit.

2 feb. — Pater Noster in templo SS. Nominis Iesu ultima vota excipit complurium Patrum ex variis domibus Urbis : 21 numerabantur ad 17 Societatis Provincias pertinentes, inter quos e nostra Curia PP. Aegidius Battiston, Hermannus Haeck, Ioannes Coyne et Iosephus Verschueren.

3-7 febr. — Ad graviorum negotiorum tractationem tranquillius parandam Pater Noster Neapolim profectus est, ibique tres quatuorve dies mansit.

15 febr.-14 mart. — P. Edmundus Walsh (Prov. Maryl.-N. E.), de negotiis ad Missiones orientales iuvandas pertinentibus eum Sancta Sede acturus (3), Romae adest et nobiscum versatur.

21 febr.-30 mart. — Hospitem habemus P. Vincentium Guimerá (Prov. Arag.), Procuratorem Missionis Insularum Carolinarum etc., qui deinceps illius Missionis negotia in Hispania aget.

25 mart.-7 apr. — P. Aemilius Licent (Prov. Camp.), in Sinas ad scientificas investigationes olim coeptas prosequendas et Musaeum constituendum mox profecturus, aliquot dies hospitio recipitur.

6 apr. — P. Iosephus Verschueren, cum chartam geographicam Missionum nostrarum a se descriptam (4) iam perfecerit, in suam Belgicam Provinciam redit, ubi ipsam chartam imprimendam curabit.

14 apr. — Romam advenit et Curiae adnumeratur P. Ioannes M. Restrepo (Prov. Columb.), Substitutus II Secretarii Societatis pro Assistentia Hispaniae (id est pro Provinciis Americae Latinae) designatus.

23-29 apr. — Adest et nobiscum versatur R. P. Dominicus Prestifilippo, Praepositus Provinciae Siculae.

24 apr.-19 maii. — P. Franciscus M. D'Aria (Prov. Neap.), ad

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 555 sq.

(2) Cfr. *Memorab. S. I.*, vol. II, 1923, pag. 113 (*26 iun.*).

(3) V. supra, pag. 532.

(4) V. supra, pp. 456, 530. - Cfr. etiam *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pag. 518.

vitam Martyrum Albenacensium mox Beatis adnumerandorum conscribendam vocatus, hospes in Curia versatur.

25 apr. — R. P. Aemilius Mattern, Americae Assistens, ut Patris Nostris nomine magno Chicagiensi Congressui Eucharistico intersit, in Americam mittitur, ubi etiam praecipuas cuiusque Provinciae domos inviset.

10 maii. — Carissimo Fr. Coad. Ignatio Banquells, sexagesimum ab inita Societate annum explenti, fraterna laetitia gratulamur.

16 maii. — Pater Noster, ex medicorum sententia et PP. Assistentium consilio, ad reficiendas vires, P. Hermanno Haeck comite, in Helvetiam hodie petit, Turici (*Zürich*) in hospitio « Theodosiano » ad mensem commoraturus.

20 maii. — Expleta relatione de apostolica complurium Brasiliae dioecesium visitatione a se peracta (1), R. P. Marcellus Renaud (Prov. Mex.), Superior regularis Americae Centralis et Rector Collegii Granatensis in Nicaragua designatus, cum socio P. Henrico Tavernier (Prov. Mex.) hodie hinc proficiscitur in Americam rediturus.

22 maii. — Pro Patre Nostro absente, R. P. Franciscus de Paola Nalbone, Italiae Assistens, aliique Assistentes et nonnulli ex Patribus Curiae adsunt in aedibus Vaticanis sollemni promulgationi decreti de martyrio Venerabilium Martyrum Albenacensium.

31 maii.-9 iun. — P. Ioachimus Diam. Alberti (Prov. Ven.), Missionis Mangalorensis Superioris munere nuper defunctus et Instructor tertiae probationis pro Assistentia Italiae designatus, hospitio recipitur.

3 iun. — In aedibus Vaticanis sollemni promulgationi decreti « de tuto » pro beatificatione Venerabilium nostrorum Martyrum Albenacensium complures adsunt e Patribus Curiae : R. P. Franciscus de Paula Nalbone, Assistens Italiae, pro Patre Nostro absente, devotam legit orationem Summo Pontifici Societatis nomine gratias agens ob decretum ad duorum Eucharistiae Martyrum beatificationem mox habendam.

3-7 iun. — P. Henricus Perroy et Fr. Coad. Emmanuel Gilles, novos suae Provinciae Lugdunensis Beatos primum veneraturi, hospitio recipiuntur.

4-10 iun. — Eadem de causa Romam veniunt et nobiscum commorantur R. P. Ioannes Costa de Beauregard, Praepositus Provinciae Lugdunensis, eiusque Socius P. Ioannes Bremond.

5 iun. — P. Henricus Dubois, alter Secretarii pro Missionibus Adiutor, ad aliquot menses ab Urbe discedit in Galliam, die *16 octobris* reversurus.

6 iun. — In Basilica Vaticana gratulabundi adsumus beatificationi

---

(1) V. supra, pag. 456 (*8 dec.*).

nostrorum Martyrum Albenacensium Iacobi Salesii et Gulielmi Saltamochii.

12-14 iun. — Quo tempore in templo SS. Nominis Iesu triduanae festivitates in honorem novorum Beatorum celebrantur, etiam domi eosdem Beatos honorandos curamus.

17 iun.-16 iul. — P. Sigismundus Masferrer (Prov. Argent.-Chil.), de rebus ad novum Universitatis Gregorianae aedificium iuvandum pertinentibus cum Patre Nostro acturus, nobiscum per mensem degit.

23 iun. — In domo Exatensi in Hollandia (Prov. Germ. Inf.), longo et acerbo morbo confectus, pie in Domino obiit Fr. Coad. Maximilianus Westerberger (Prov. Germ. Sup.), Curiae adscriptus utpote alter Patris Archivistae Socius.

Fr. Maximilianus Westerberger ortum habuerat in pago Guttenburg-Mühldorf in Bavaria, die 6 octobris 1879. Ingenio non mediocri a Deo instructus erat; attamen parentum paupertas obstabat, quominus litterarum curriculum capesseret. Hinc servis navalibus, qui in sua patria in magno lacu, qui dicitur Chiemsee, stipendia merebantur, per duos annos adscribi voluit. Sed ad maiora vocatus Feldkirchii Societatem Iesu ingressus est die 10 aprilis 1907. Elucebant in fratre vera humilitas et modestia in universa agendi ratione. Superiores et confratres reverentia interna prosequens, ad quaevis servitia, etiam viliora, praestanda semper paratus erat. Laudantur praeterea in eo observatio quaedam et sagacitas, qua aliorum mentes introspicere et ad eorum desideria interna quasi penetrare videbatur. Bello maximo anno 1914 exorto, statim ad militiam evocatus plerumque in nosocomiis exercitus bavarici occupatusfuit et labore fere obrutus, quod Fratris valetudini profecto non profuit.

Bello finito iterum varia Coadiutorum munera Feldkirchii et Monachii obiit. Anno 1923 cum Fr. Coad. Iosephus Wenzel, Patris Archivistae Socius, mense iulio vita functus esset, Frater Westerberger eius successor electus est et, artem photographicam Monachii edoctus, die 16 novembris in domum Exatensem advenit. At diu artem, quam callebat, exercere non potuit. Iam sequenti anno morbo, qui dicitur cancer stomachi, laborare coepit. Sectio chirurgica, quam mense iunio 1924 Aquisgrani subire debuit, per aliquod tempus ei levamen attulit, sed malum non removit, quod paulo post medicus insanabile esse iudicavit. Ipse tamen, divinae voluntati plane deditus, animo forti et constanti, pro viribus munere suo fungebatur. Mense octobri 1925 adhuc varias et bonas imagines illius solemnis benedictionis foris ante aedes nostras in honorem S. Petri Canisii eiusque novae statuae lapideae habitae, cui nostri omnes cum magna multitudine hominum e pagis vicinis assistebant, lucis opera perfecit et multiplicavit. Ineunte vero anno 1926 ita viribus destitui coepit, ut in cubiculo infirmorum lectulo affixus maneret, usque ad felicem eius obitum die 23 iunii, quotidie, etiam die obitus, Sacra Comunione, saltem particula Sacrae Hostiae refectus. Ab arte medicinae derelictus auxilium divinum per interces-

sionem P. Gulielmi Eberschweiler ad recuperandam sanitatem simul cum aliis identidem impense implorabat; Deo tamen placuit, eum ad praemia aeterna, religioso fideli destinata, evocare.

R. I. P.

28 iun. — Patrem Nostrum viribus refectis ex Helvetia redeuntem laeti excipimus. — P. Hermannus Haeck, qui cum Patre Nostro in Helvetia fuerat, per Germaniam et Belgium ad res de Missionibus investigandas iter instituit, in Urbem nonnisi die *13 septembris* reversurus.

11 iul. — R. P. Henricus Carvajal, Visitator Provinciae Baeticae idemque Societatis Secretarius, de visitatione peracta cum Patre Nostro acturus, ex Hispania revertitur.

18 iul. — P. Aemilius Müller, Redactoris « *Memorabilium S. I.* » Adiutor, cum tertiam probationem mox Florinis in Belgio incipere debeat, iam nunc illuc se confert ad vires prius reficiendas; post tertiam probationem vero in suam Canadae Inferioris Provinciam redibit.

30 iul.-1 aug. — P. Ioannes M. Barrella (Prov. Neap.), novi Collegii Bariensis Rector designatus, ad quaedam negotia componenda venit.

31 iul. — Pater noster Summum Pontificem vocatus adit, qui ardens Suum desiderium aperit ut Seminarium Catacense a Societate regendum suscipiatur (1). — Ad hoc negotium tractandum Neapoli Romam proximis diebus (*6-9 aug.*) adveniunt R. P. Iaphet Stan. Jollain Praepositus Neapolitanus et P. Iosephus De Giovanni illius Seminarii Rector futurus.

3 aug. — In Tusculanam villam abimus. — Pater Noster illuc venit postridie, indeque Romam ire redire ob negotia hoc rusticationis tempore saepius cogitur.

3 aug. — P. Gabriel Huarte (Prov. Castell.), in Universitate Gregoriana huc usque theologiae Lector, nunc Revisor generalis librorum renuntiatus, hodie in Curiam cooptatur et nobiscum degere incipit.

7 aug. — P. Edmundus Elter (Prov. Pol.), qui Patri Nostro a litteris polonicis esse debet, simulque in Universitate Gregoriana ethicae Lector erit, hodie Tusculum advenit et Curiae adnumeratur.

10-14 aug. — P. Ioachimus Diam. Alberti (Prov. Ven.), Florentinae tertiae probationis Instructor, cum Patre Nostro acturus, aliquot dies nobiscum versatur.

16 aug. — P. Alfredus Maertens, Oeconomus Generalis, qui die *10 aug.* decumbere coeperat, Sacramentis morientium rite munitus, hodie vespere hora 20,30' pie in Domino obdormivit, aetatis anno 88, Societatis 64 (2).

---

(1) V. supra, p. 535.
(2) V. supra, pp. 621–624.

18 aug. — In sacello nostrae Tusculanae villae Rufinellae, mane optatissimo defuncto parentatum est: aderant etiam nonnulli Nostri e Collegio Tusculano (*Mondragone*) et e Domo probationis Provinciae Romanae, quae in Villa Vetere (*Villa Vecchia*) prope idem Collegium habebatur. — Post meridiem, Patre Nostro comitante, automobili curru cadaver Romam delatum est et in Societatis sepulcro ad Campum Veranum pie compositum.

18 aug. — P. Antonius M. Stravino (Prov. Neap.), qui defuncti Oeconomi Adiutor erat, Oeconomi Generalis munere fungi coepit.

19 aug. — P. Alexander Ziemski, Curiae nostrae Ministri munere functus, Residentiae Varsaviensis Superior designatus, in suam Poloniae Maioris et Mazoviae Provinciam redit. — Hic, usque ad novi Ministri adventum, eius vices geret P. Ioannes M. Restrepo, alter pro Assistentia Hispaniae Secretarii Substitutus.

28 aug. — Cum in collegio Tusculano, villae nostrae proximo, omnes Provinciae Romanae Superiores hisce diebus brevem conventum de communibus Provinciae rebus cum P. Provinciali celebraverint, eos hodie Pater Noster ut ad nos a meridie diverterent invitavit, eosque benignissime excepit.

29 aug. — P. Antonius Höss (Prov. Germ. Sup.), novus pro Assistentia Germaniae Societatis Secretarii Substitutus, qui heri Romam pervenerat, hodie Tusculum venit et Curiae cooptatur.

30 aug. — P. Adalbertus Bangha, Secretariatus Congregationum Marianarum Praesidis munere functus, in suam Hungariae Provinciam redit. — P. Laurentius O'Keeffe, eius Adiutor, etsi Curiae adscriptus maneat, hodie in Collegium Scriptorum Civilitatis Catholicae migrat ibi commoraturus.

31 aug. - 5 sept. — R. P. Felix Mollat, Provinciae Franciae Praepositus, suam Nankinensem Missionem in Sinis mox visitaturus, ad Patrem Nostrum alloquendum venit, et partim Romae partim Tusculi aliquot dies in Curia versatur.

16 sept. — Pater Noster Scholasticos Universitatis Gregorianae in Collegio Leoniano Anagnino rusticantes invisit.

15-18 sept. — R. P. Iosephus Subtil (Prov. Camp.), Missionis Sien-hsien suae Provinciae in Sinis Visitator nominatus, Patrem Nostrum aditurus hospitio recipitur.

15 sept. — P. Henricus van der Hulst (Prov. Neerl.), novus Curiae Minister designatus, hodie advenit: officio tamen fungi non incipiet nisi proximo mense ineunte.

18 sept. — P. Iosephus Drexel, pro Assistentia Germaniae Substituti munere functus, Novitiorum Magister designatus, in suam Austriae Provinciam hodie proficiscitur.

18-27 sept. — P. Modestus Cerutti (Prov. Taur.), Exercitiorum puncta Fratribus Coadiutoribus explicaturus, nobiscum commoratur.

19-26 sept. — Exercitia spiritualia peragimus.

27 sept. — Novus Societatis Secretarius renuntiatur P. Iosephus Demaux-Lagrange, qui suae Provinciae Tolosanae Praepositi munus hodie deponit, sed nonnisi post aliquot dies Romanum iter arripere poterit.

2 oct. — Adest P. Fortunatus Stephanus Corradi (Prov. Ven.), ad « *Acta Romana* » et « *Memorabilia S. I.* » redigenda P. Subsecretarii Adiutor designatus, et Curiae nostrae hodie adnumeratur.

3 oct. - 12 nov. — Hospitem habemus R. P. Ioachimum Vilallonga, Philippinarum Missionis Superiorem regularem, Praepositum suae Aragoniae Provinciae mox futurum.

8 oct. — P. Iosephus Demaux-Lagrange, novus Societatis Secretarius, Romam venit et suo munere fungi coepit.

10 oct. — P. Silvius Fabbri (Prov. Rom.), adhuc theologiae Lector in Universitate Gregoriana, nunc Revisor generalis librorum pro P. Dominico M. Palermo Lazzarini renuntiatur.

13 oct. — R. P. Henricus Carvajal (Prov. Legion.), Societatis Secretarii munere nuper defunctus et Visitator Provinciae Toletanae renuntiatus, in Hispaniam proficiscitur.

15-17 oct. — P. Eduardus Goulet, Secretarius pro Missionibus, Neapolim petit, RR. DD. Simonem Tsu S. I. (Prov. Franc.), electum Episcopum tit. Lesbitanum et Vicarium Apostolicum de Haimen, nomine Patris Nostri salutaturus, eumque Romam comitaturus. — Romam tamen cum advenerit RR. Dominus, apud PP. Redemptoristas simul cum aliis quinque Episcopis Sinensibus a Summo Pontifice mox consecrandis commoraturus seccessit, ut una omnes Exercitiis spiritualibus dent operam.

15-17 oct. — Hospitem habemus R. P. Gabrielem de Boissieu, Vicepraepositum Provinciae Franciae, qui a Patre Nostro invitatus est ut beatificationi intersit nostrorum Martyrum Parisiensium anni 1792.

17 oct. — In Basilica Vaticana Pater Noster aliique complures Patres laeti adsunt beatificationi Martyrum Parisiensium anni 1792, inter quos viginti tres « iam Societatis Iesu Sodales » numerantur (1).

25-27 oct. — R. P. Petrus Grana, nuper Provinciae Venetae Praepositus renuntiatus, Patrem Nostrum aditurus, biduo nobiscum versatur.

25 oct. - 4 nov. — P. Gustavus Gibert (Prov. Franc.), Missionis Nankinensis Procurator in Gallia, Romae adest occasione consecrationis episcopalis RR. DD. Simonis Tsu, die *28 oct.* a Summo Pontifice peragendae.

29 oct. - 15 nov. — RR. DD. Simon Tsu, nuper Episcopus consecratus, in Curiam venit et nobiscum duas hebdomadas commoratur.

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 446-459. — V. etiam supra, pp. 527 sq.

6 nov. — R. P. Aemilius Mattern, Americae Assistens, ex America in Urbem redit (1).

6-18 nov. — R. P. Dominicus Prestifilippo, Provinciae Siculae Praepositus, ad negotia tractanda adest.

23 nov. — Romam venit et Curiae nostrae adnumeratur P. Albertus Boegle (Prov. Austr.), novus Praeses Secretariatus Marianarum Congregationum.

6 dec. — P. Henricus Dubois, alter Secretarii pro Missionibus Adiutor, Lutetiam Parisiorum petit ut conventui pro Africa, a quodam variarum nationum coetu indicto, nomine nostrarum Missionum intersit, die *12 ian. 1927* in Urbem reversurus.

9-26 dec. — P. Iosephus Boubée (Prov. Tolos.), Apostolatus Orationis Moderator generalis delegatus, ad negotia illius operis cum Patre Nostro tractanda adest.

27-31 dec. — Festa Aloisiana in Urbe celebrantur : multae iuvenum peregrinorum turmae Patrem Nostrum salutaturae Curiae domum veniunt (2).

29 dec. — Cum Patre Nostro acturi adsunt RR. PP. Iosephus Sawicki et Ladislaus Jankiewicz, Praepositi duarum Provinciarum Poloniae, et nobiscum duas hebdomadas commorantur.

---

(1) V. supra, pag. 649 (*25 apr.*).
(2) V. supra, pp. 537-546.

II.

CATALOGUS SOCIORUM ET OFFICIORUM CURIAE SOCIETATIS
DIE 10 OCTOBRIS 1926.

A. R. P. N.

WLODIMIRUS LEDÓCHOWSKI

PRAEPOSITUS GENERALIS

A DIE XI FEBRUARII MCMXV

Via S. Nicola da Tolentino, 8 — Roma (30)
(Pro telegram.: Gisa. Roma).

P. Franciscus de Paula Nalbone, *Assist. Ital.*, *Vicesup. dom.*	Prov.	Sic.
P. Rodolphus van Oppenraaij, *Assist. Germ.*, *Admon.*, *Conf. dom.*	»	Neerl.
P. Norbertus de Boynes, *Assist. Gall.*, *Praef. valet.*, *Conf. dom.*	»	Franc.
P. Iosephus Barrachina, *Assist. Hisp.*, *Praef. spir.*, *Conf. dom.*	»	Arag.
P. Iosephus Welsby, *Assist. Angl.*, *Conf. dom.*	»	Angl.
P. Aemilius Mattern, *Assist. Amer.*, *Conf. dom.*	»	Neo-Aurel.
P. Iosephus Demaux-Lagrange, *Secr. Soc.*, *Cons. dom. an. 1*	»	Tolos.
P. Petrus Boetto, *Proc. gen.*, *Conf. dom.*, *Cons. an. 4*	»	Taur.
P. Antonius Stravino, *Oecon. Gen.*, *Conf. dom.*, *Cons. dom. an. 3*	»	Neap.
P. Henricus van der Hulst, *Min.*, *Proc.*, *Praef. sac. dom.*, *Cons. dom. an. 1*	»	Neerl.
P. Azzolini Hilarius, *Subsecr. Soc.*, *Cur.* « *Acta Rom.* » *et* « *Memorab. S. I.* », *Praef. lect. ad mens.*	»	Ven.
P. Basterra Petrus, *Cons. aedilic.*	»	Castell.
P. Battiston Aegidius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Ital.*, *Catech. FF. CC.*, *Expl. med. FF. CC. per vic.*	»	Ven.

P. Boegle Albertus, *Praes. Secretariat. Congr. Mar.*	Prov.	Austr.
P. Boubée Iosephus, *Dir. gen. deleg. Apost. orat. (interim: Rue Montplaisir, 9, Toulouse, France)*	»	Tolos.
P. Ciáurriz Marius, *Subst. 1 Secr. Soc. pro Assist. Hisp.*	»	Castell.
P. Coemans Augustus, *Parat. edit. Inst. recogn.*	»	Belg.
P. Corradi Fortunatus Stephanus, *Adiut. cur. « Acta Rom. » et « Memorab. S. I. »* .	»	Ven.
P. Coyne Ioannes, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Angl., Praef. bibl.*	»	Hibern.
P. Donnelly Thomas, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Amer.*	»	Missour.
P. Dubois Henricus, *Adiut. Secr. pro Mission., Script.*	»	Camp.
P. Elter Edmundus, *Adiut. Secr. Soc., Lect. eth. in Univ. Gregor.*	»	Pol. M. et Maz.
P. Fabbri Silvius, *Rev. gen. libr., (Via G. Belli, 3 — Roma, 26)*	»	Rom.
P. Fajella Aurelianus, *Postul. gen. caus. NN. VV. et BB. (Piazza del Gesù, 45 — Roma, 17)*	»	Neap.
P. Goetstouwers Ioannes B., *Archiv.* . . .	»	Belg.
P. Goulet Eduardus, *Secr. pro Mission.* .	»	Can. Inf.
P. Haeck Hermannus, *Adiut. Secr. pro Mission.*	»	Belg.
P. Höss Antonius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Germ.*	»	Germ. Sup.
P. Huarte Gabriel, *Rev. gen. lib.*	»	Castell.
P. Kleiser Alphonsus, *Adiut. Secr. Soc. (Exaten bij Baexem, L. Neerlandia)*	»	Germ. Sup.
P. O' Keeffe Laurentius, *Adiut. Praes. Secretariat. Congr. Mar.*	»	Calif.
P. Paré Aloisius, *Adiut. Dir. gen. deleg. Apost. orat. (interim: Tolosae)*	»	Franc.
P. del Portillo Henricus, *Rev. gen. libr.* . .	»	Tolet.
P. Restrepo Ioannes M., *Subst. 2 Secr. Soc. pro Assist. Hisp., Praes. coll. cas.* . .	»	Columb.
P. Sautu Iulianus, *Parat regesta*	»	Castell.
P. Villaret Aemilius, *Subst. Secr. Soc. pro Assist. Gall.*	»	Camp.
P. Walmesley Hermannus, *Conf. dom. et in t. SS. Nom. Iesu*	»	Angl.

COADIUTORES

Amiano Felix, *Aman., Ad dom., Soc. Exeunt.* . Prov. Castell.
Arribas Antonius, *Soc. Postul. gen., Pict., Ad dom.* . . . . » Arag.
Baguñá Narcisius, *Aman., Ian. 2, Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . » Arag.
Banquells Ignatius, *Soc. 1 P. Gen., Aedit., Excit. 1, Vis. mat. et noct.* . . . . » Arag.
Barlassina Ioannes B., *Sart., Cust. vest. et lint., Tons., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . » Ven.
Beckmann Godefridus, *Soc. 1 Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten etc.*) . . . . » Germ. Inf.
Bellon Victor, *Aman., Ad dom.* . . . » Lugdun.
Del Vecchio Vincentius, *Infirm., Aman., Ad dom.* » Rom.
Gorostiza Franciscus, *Adiut. aedit., Ad dom., Soc. exeunt* . . . . » Castell.
Herrero Aemilius, *Soc. 2 P. Gen., Aman., Ad dom.* . . . . » Legion.
Kolecki Iosephus, *Cust. tricl., Ad dom.* . . » Pol. M. et Maz.
Lampe Maximilianus, *Aman., Soc. Praef. bibl., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . . » Neerl.
Luján Salvator, *Soc. 2 Oecon. gen., Ad dom.* . » Tolet.
Miranda Iosephus, *Ad dom.* . . . . . » Legion.
Morant Iosephus, *Soc. Dir. gen. deleg. Apost. orat., Aman.* (*interim: Tolosae*) . . » Arag.
Mulatti Angelus, *Cur. aedif. novae Curiae* . » Ven.
Oteiza Esdras, *Aman., Comp. mss. et libr., Mechan., Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . » Castell.
Otrebski Eugenius, *Soc. Proc. gen., Aman., Ad dom.* . . . . » Pol. Min.
Prieto Iosephus, *Soc. 1 Oecon. gen., Vis. orat. et exam., Ad dom.* . . . . . . » Legion.
Przewlekly Franciscus, *Cust. pen., Adiut. coq. et cell., Ad dom.* . . . . . . » Pol. M. et Maz.
Sangalli Iosephus, *Empt., Coq., Cell., Excit. 2.* » Ven.
Sullivan Philippus, *Aman., Ad dom., Soc. exeunt.* » Missour.
Vögele Georgius, *Soc. 2 Adiut. Secr. Soc.* (*Exaten etc.*) . . . . » Germ. Sup.
Weidinger Ioannes B., *Aman., Ian. 1, Ad dom., Soc. exeunt.* . . . . » Ven.

Sac. 38 — Coad. 24 — Univ. 62.

III.

DE PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Nominationes Pontificiae.

20 iun. 1925. — R. P. Michael d'Herbigny (Prov. Camp.), Praeses Pontificii Instituti Orientalis, in Pontificiam Commissionem « pro Russia » cooptatur, titulo et officio Consultoris specialis (1).

11 febr. 1926. — Idem R. P. Michael d'Herbigny, a Summo Pontifice in Russiam missus, Episcopus titularis Iliensis eligitur et circa finem mensis martii secreto consecratur, quod deinde palam rescitum est die *15 aug.* eiusdem anni (2).

14 apr. 1926. — RR. DD. Antoninus Zecchini, S. I. (Prov. Ven.), Archiepiscopus tit. Myrensis, Internuntius Apostolicus Lettoniae renuntiatur (3).

2 aug. 1926 — R. P. Simon Tsu (Prov. Franc.) Episcopus tit. Lesbitanus eligitur, die vero *11 aug.* Vicarius Apostolicus de Haimen in Sinis renuntiatur (4). — Episcopalem consecrationem recepit ab ipso Summo Pontifice in Basilica Vaticana, die *28 oct.*, simul cum aliis quinque Episcopis Sinensibus (5).

1 oct. 1926 — RR. DD. Albanus Goodier S. I. (Prov. Angl.), hactenus Archiepiscopus Bombayensis, hac sede deposita, Archiepiscopus tit. Hierapolitanus creatur (6), in Anglia deinceps commoraturus.

23 dec. 1926 — R. P. Ludovicus Benítez (Prov. Mexic.) in Consistorio huius diei renuntiatus est Episcopus tit. Isbitanus et Auxiliaris RR. Episcopi Tulancingensis in Mexico (7).

---

(1) *Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII (1926), pag. 62.

(2) V. supra, pag. 531. — Cfr. *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pag. 241.

(3) *Acta Ap. Sedis*, vol. XIX (1927), pag. 229. — Cfr. supra, p. 43.

(4) *Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII (1926), pp. 345, 346, 526. — *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 470 sq.

(5) V. supra, pp. 531, 554.

(6) *Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII (1926), pp. 436, 525.

(7) *Acta Ap. Sedis*, vol. XVIII (1926), p. 528.

Nominationes Superiorum maiorum.

Administrationem suscipiunt anno 1926:

6 ian. — R. P. Antonius M. Alves, Missionis de Shiu-hing in Sinis (Prov. Lusit.) Superior regularis.

7 mart. — R. P. Dominicus Prestifilippo, Provinciae Siculae Praepositus.

7 apr. — R. P. Aloisius Coelho, Missionis Mangalorensis (Prov. Ven.) Superior regularis.

11 iun. — R. P. Antonius Revuelto, Provinciae Baeticae Praepositus.

16 iul. — R. P. Marcellus Renaud, Missionis Americae Centralis (Prov. Mexic.) Superior regularis.

27 iul. — R. P. Henricus Keane, Provinciae Angliae Praepositus.

15 aug. — R. P. Iosephus Sawicki, Praepositus Provinciae Poloniae Maioris et Maxoviae.

15 aug. — R. P. Ladislaus Jankiewicz, Praepositus Provinciae Poloniae Minoris.

20 aug. — R. P. Thomas Fernández, Provinciae Legionensis Praepositus.

27 sept. — R. P. Alphonsus M. Martin, Provinciae Taurinensis Praepositus.

27 sept. — R. P. Leontius Aurel, Praepositus Provinciae Tolosanae.

27 sept. — R. P. Matthaeus Germing, Provinciae Missourianae Praepositus.

24 oct. — R. P. Petrus Grana, Praepositus Provinciae Venetae.

3 dec. — R. P. Ioachimus Vilallonga, Praepositus Provinciae Aragoniae.

21 dec. — R. P. Iacobus M. Kilroy, Praepositus Provinciae Novae Angliae.

Novae Provinciae et Missiones (1).

16 iul. 1926. — Domus Provinciae Mexicanae in variis Americae Centralis Rebuspublicis sitae in Missionem Americae Centralis nuncupandam coalescunt, et uni Superiori regulari, a Provinciali Mexicano dependenti, regendae committuntur.

31 iul. 1926. — Regio Novae Angliae, ante quinque annos Viceprovinciali dependenti regenda commissa, hac die, ex decreto Patris

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 519-523, 556-561. — V. etiam supra, pag. 532.

Nostri die 2 iulii huius anni lato, a Provincia Marylandiae-Neo Eboracensi seiungitur et in *Provinciam Novae Angliae* appellandam erigitur, cuius Praepositus in urbe Boston sedem habebit.

15 aug. 1926. — Provincia Poloniae, cuius divisio anno superiore, per administrationem partis meridionali, Viceprovinciali dependenti commissam, inchoari visa est, ex decreto Patris Nostri proximo die 31 iulii lato, hodie ad exitum adducta est, duabus veri nominis Provinciis erectis, quarum altera *Poloniae Maioris et Mazovia*, altera *Poloniae Minoris* nomen habent: Praepositi vero Provinciales alter Varsaviae, alter Cracoviae residentiam figent.

Mutationes in Missionum administratione.

28 iul. 1926. — Litteris Apostolicis « Quae catholico nomini » pars quaedam a territorio Vicariatus Apostolici de Nyassa in Africa centrali seperatur et nostrae Praefecturae Apostolicae Zambesianae (Prov. Angl.) tribuitur (1).

11 aug. 1926. — Litteris Apostolicis « Ut aucto » pars quaedam Vicariatus Apostolici Nankinensis (Prov. Franc.) in Sinis in novum Vicariatum Apostolicum erigitur, *de Haimen* nuncupandum, et curis cleri indigenae traditur (2).

3 dec. 1926. — Sacra Congregatio de Propaganda Fide quasdam Residentias nostri Vicariatus Bataviae in insula Iava (Prov. Neerl.) Missionariis Sacratissimi Cordis tradendas decernit (3).

Visitationes Provinciarum et Missionum (4).

R. P. Henricus Carvajal, Provincia Baetica peragrata a mense decembri 1925 ad mensem iulium 1926, Provinciam Toletanam visitare coepit mense novembri huius anni.

R. P. Ferdinandus Willaert, Provinciae Belgicae Praepositus, a mense decembri 1925 visitat Missiones Gallensem et Trincomaliensem in Ceylon et Calcuttensem in Indiis.

R. P. Eugenius Thibaut (Prov. Belg.) a mense augusto 1926 visitat Missionem Kwangensem in Congo Belgico.

---

(1) *Acta Rom.*, vol. V, 1921, pp. 468 sq.
(2) *Acta Rom.*, vol. V, 1926, pp. 434 sq. — V. etiam supra, pag. 531.
(3) *Acta Rom.*, vol. V, pag. 473.
(4) V. supra, pag. 533.

R. P. Felix Mollat, Praepositus Provinciae Franciae, visitat Missionem Nankinensem in Sinis a mense octobri 1926.

R. P. Iosephus Subtil (Prov. Camp.) item a mense octobri 1926 visitat Missionem Sien-hsien in Sinis.

Domus novae, instauratae, dissolutae anno 1926.

Assistentia Italiae:

PONTIFICIUM INSTITUTUM ORIENTALE. — Ab anno 1922, quo Societati commissum est, Pontificium Institutum Orientale, cum Instituto Biblico ad tempus coniunctum, sede propria carebat. Sed Summi Pontificis munificentia hoc anno novam ei sedem eamque aptissimam comparavit in antiquo S. Antonii Abbatis monasterio apud Basilicam Liberianam seu Sanctae Mariae Maioris. Aedificium a Sancta Sede acquisitum et rite instructum habitare coeperunt Nostri mense decembri 1926, et die 27 eiusdem mensis novae Nostrorum communitatis Rector renuntiatus RR. DD. Michael d'Herbigny S. I., Episcopus tit. Iliensis, qui et Praesidem Instituti iam inde ab anno 1922 agit. — *Pontificio Istituto Orientale, Piazza S. Maria Maggiore 7*, Roma (28).

PROV. ROMANA. — *Aricina Domus probationis*. — Domus probationis Provinciae Romanae, quae interim in Villa Veteri (*Villa Vecchia*) prope Collegium Tusculanum sedem fixerat, in novam domum, in pago *Ariccia* propre Sanctuarium B. M. V. a Valle Aurea (*Galloro*) apte aedificatam, mense novembri 1926 translata est, Villa Veteri ad usum Domus Exercitiorum pro opificibus relicta. Pulchrum illud et a finitimis pagis celebratissimum templum Marianum, salubri et amoeno loco situm, iam alias Societas concreditum habuit: nam ab anno 1818 parvam ibi Residentiam habuimus usque ad annum 1896, quo Patres a Valle Umbrosa in antiquas suas aedes redierunt, sed nunc post triginta annos, illinc rursus recesserunt. — *Santuario di Galloro*, Ariccia (*Roma*).

PROV. NEAPOLITANA. — *Aquilana Residentia*. — Aquilae, in urbe regionis Aprutinae principe, antiquae nostri Collegii aedes feliciter emi potuerunt, ubi interea parva quaedam Residentia exeunte anno 1926 inchoata est, mox vero Collegium Societatis initum iri speratur. Ita Provincia Neapolitana, quae in tota illa regione sibi adscripta nullam domum adhuc habebat, etiam illuc pedem rursus invexit. — *Rettoria S. Margherita*, Aquila degli Abruzzi.

Bariense Collegium. — Sancta Sede hortante, ex munificentia nobilium coniugum Di Cagno Abbrescia, novum Collegium mense octobri 1926 inchoatum est Barii, Reginae Angelorum dicatum; Residentia vero, iam pridem in eadem urbe exsistens, intacta servatur, sed a Collegio dependens edicitur. — *Madonna dell'Arco 31*, Bari.

Campana Residentia, Capuae ante aliquot annos constituta, cum non tantae utilitatis, quantae futura tunc speraretur, comperta sit, accedente quoque magna Sociorum penuria in reliqua Provincia, mense octobri huius anni tandem dissoluta est, Summo Pontifice id aperte approbante, quo facilius Seminarium Catacense Societati regendum oblatum suscipere possemus; siquidem maior Dei gloria requirebat, ut illud opus minus utile locum cederet huic alteri operi, quod bono Ecclesiae apprime necessarium est.

Catacense Seminarium Regionale. — Aperta Summi Pontificis voluntate, ut supra narratum est (1), Societas regendum suscepit Pontificum Seminarium Regionale totius Calabriae, a Pio X prope urbem Catacensem (*Catanzaro*) conditum. Die 12 septembris 1926 P. Iosephus M. De Giovanni Rectoris munere iniit, aliis tribus Patribus eum adiuvantibus, quibus deinde alii nonnulli accedent. — *Seminario Pontificio Pio X*, Catanzaro.

Prov. Sicula. — *Calatanixetana Residentia*, anno 1923 inchoata, cum aptas aedes nondum habere possit, suspendi interim debuit, uno Patre in Seminario episcopali manente, qui nostrae ecclesiae curam habet et operarium agit.

Prov. Veneta. — *Parmensis Residentia* aptiorem ampliaromque sedem apud nostrum templum S. Rochi obtinuit, id est partem antiqui nostri Collegii, in quo nunc Regia Universitas locum habet. — *Via dell'Università 26-28,* Parma.

Sartiranensis domus, quae plures annos olim Domus tertiae probationis fuit, et adhuc Exercitiorum Domus erat praesertim pro clero archidioecesis Mediolanensis, cum nunc, nova exstructa Exercitiorum Domo Triuggiensi, haec minus necessaria videretur, a Nostris devendita est et penitus relicta.

Assistentia Germaniae:

Viceprov. Brasiliae Meridionalis. — *Sanctae Mariae Seminarium Minus.* — Ineunte anno 1926, rogante Episcopo, regendum susceperunt Nostri Seminarium Minus dioecesanum in ipsa urbe episcopali

(1) V. supra, pag. 535.

Santa Maria situm. — *Seminario S. José,* Santa Maria (*Rio Grande do Sul*).

Prov. Germaniae Inferioris. — *Berolinense Collegium inchoatum.* — Berolini, in urbe Germaniae principe, hoc anno 1926 parvum Collegium inchoatum est apud Residentiam S. Petri Canisii, quod paulatim auctum iri speratur. — *Canisius Kolleg, Neue Kantstrasse 2*, Berlin-Charlottenburg 5.

Francofurtense Collegium et Convictus. — Francofurti ad Moenum Collegium philosophicum et theologicum mense septembri 1926 conditum est pro clericis dioecesis Limburgensis in primis, sed etiam aliarum dioecesium Germaniae, pro quibus adest quoque Convictus: tota domus Sacratissimo Cordi Iesu dicata est. — *Sankt Georgen, Schliessfach 304*, Frankfurt a. M. 1.

Prov. Germaniae Superioris. — *Norimbergensis Residentia.* — Novam domum, pauperem eam quidem, sed templo contiguam et nostrae domesticae disciplinae multo aptiorem quam antiquam, ingressi sunt Nostri Paulo ante festum S. P. Ignatii huius anni 1926. — *Scharrerstrasse 32*, Nürnberg (*Bayern*).

Prov. Neerlandica. — *Missio Iavensis.* — Quaedam Missionis Stationes aliis Religiosis commissae sunt, ut supra dictum est (1); nova Residentia inchoata est in *Klaten.*

Prov. Poloniae Maioris et Mazoviae. — *Lublinense Collegium Bobolanum.* — Paulo ante divisionem Provinciae Poloniae, sollemni ritu, ut supra dictum est (2), inauguratum est novum Collegium Maximum Lublinense pro auditoribus theologiae utriusque Provinciae, B. Andreae Bobola dicatum, a quo « Bobolanum » vulgato nomine dici consuevit. — *Bobolanum, Aleje Raclawickie*, Lublin.

Missio Orientalis. — In *Domo Albertinensi* novitiatum peragere coeperunt nonnulli adolescentes ritus orientalis, ideoque illa Residentia ad gradum Domus probationis erecta est. — Nova parva Statio inchoata est *Synkowiciae*, ubi unus Pater unusque Frater degere coeperunt. — *Skrzynka pocztowa 22,* Synkowicze p. Slonim.

---

(1) V. supra, p. 660.
(2) V. supra, pp. 532 sq.

Assistentia Galliae :

PROV. CAMPANIAE. — *Florinensis Domus probationis*, quae huc usque ab uno Rectore regebatur, duas Domos inter se independentes cum duobus distinctis Rectoribus a die 15 augusti 1926 constituit : altera est pro Novitiis, S. Ignatio dicata ; altera pro PP. tertiae probationis, a S. Ioanne Berchmans nuncupata, cum Schola apostolica adnexa. Ceterum iam pridem duae reapse domus erant, ideoque nihil fere in earum regimine mutatum est, si ablatam Rectoris unicitatem excipias.

PROV. FRANCIAE. — *Lavalliensis Domus probationis.* — Relicta et divendita Domo Bellomontana (*Beaumont - sur-Oise*), Novitii quoque in domum Lavalliensem se recipiunt, ubi iam degebant Rhetorici. — *Boulevard de Tour 37*, Laval (*Mayenne*).

In *Missione Nankinensi*, in urbe Nanking inchoatum est parvum Collegium a P. Matthaeo Ricci nuncupatum.

PROV. LUGDUNENSIS. — *Domus probationis et Collegium Maximum.* — Divendita domo Orensi (*Ore Place*) in Anglia, mense septembri 1926 in Galliam translatum est Collegium Maximum theologicum et apud *Fourvière* sedem invenit, ubi duos annos manserat Domus probationis ; haec interea prope Gratianopolim (*Grenoble*) se recipit, donec sedem fixam opportuniore toco inveniat. — *Villa St. Hugues*, St. Robert par St. Egrève (*Isère*).

Iuniores tamen Scholastici interim in Domo Exercitiorum *Bellecroix* prope Lugdunum degunt.

Assistentia Hispaniae :

PROV. CASTELLANA. — *Burgense Collegium*, variis de causis, suspenditur et in Residentiam convertitur. — *La Merced, Apartado 7*, Burgos.

In *Venezolana Republica*, praeter Caracense Collegium et Seminarium item Caracense, etiam Residentia, in eadem Caracensi Reipublicae metropoli anno superiore inchoata, sui iuris facta proprium Superiorem die 8 septembris 1926 excepit. — Novae quoque Residentiae initium est factum *Maracaibo* in eadem Venezolana Republica. — *Iglesia de San Felipe, Apartado 317*, Maracaibo (*Venezuela*).

PROV. LEGIONENSIS. — *Salmanticensis Domus probationis.* — Mense septembri 1926 constituta est nova Domus probationis Salmanticae, quo Novitii et Iuniores Scholastici a domo Carrionensi migrarunt. Cum autem Domus tertiae probationis Manresana (Prov. Arag.) pro tota Hispania iam non sufficiat, interim in hac eadem nova domo Salmanticensi peragi quoque coepta est tertia probatio pro Patribus Provinciarum Legionensis et Baeticae ac Lusitanae aliisque qui Manresae locum non inveniant. Mens tamen est aptiore loco novam tertiae probationis Domum instituere. — *Apartado 61*, Salamanca.

Carrione mansit Seminarium Minus Societatis simul cum Seminario dioecesano Palentino Societati commisso. — *Apartado 1*, Carrión de los Condes (*Palencia*).

PROV. LUSITANA. — *Collegium Caitetense* in Missione Brasiliae Septemtrionalis exeunte hoc anno 1926 relictum est et Nostri inde discesserunt.

Fortalexiensis Statio in eadem Missione inchoata est, quae Baturitensi Seminario Minori accensetur. — *Praça Benjamin Constant*, Fortalexa (*Estado do Ceará, Brasil*).

PROV. MEXICANA. — Saeviente persecutione religiosa, vix non omnes Societatis domus in tota Mexican a Republica dispersae sunt, sed difficile est hodiernum earum statum singillatim describere.

Domus Provinciae Mexicanae in America Centrali exsistentes in *Missionem Americae Centralis* coaluerunt, ut dictum est supra (1).

Assistentiae Angliae :

PROV. ANGLIAE. — *Heythropense Collegium Maximum*, ad philosophiae et theologiae Auditores recipiendos destinatum et B. Roberto Bellarmino dicatum, inauguratum est die 27 iulii 1926. Domus Sanctae Mariae apud Collegium Stonyhurst sita, quae diu philosophos Scholasticos hospites habuit, interim vacua manet. Domus vero Sancti Beunonis, in qua Scholastici theologi degebant, ad Patres tertiae probationis anno proximo recipiendos paratur, simulque ut domus valetudinaria Provinciae habetur. — *Heythrop College*, Chipping Norton (*Oxon.*).

Collegium S. Georgii in Missione Zambesiana ab urbe Bulawayo ad urbem Salisbury translatum est. — *St. George's, P. O. Box 785*, Salisbury (*S. Rhodesia*).

---

(1) V. supra, pag. 659.

PROV. BELGICA. — *Calcuttensis Residentia Cathedralis* in Missione homonyma, ineunte anno 1926, recedentibus Nostris, ad Patres Salesianos translata est, qui ipsam Cathedralem Ecclesiam administrant.

In *Missione Kwangensi* duae novae Stationes inchoatae sunt, altera *Kimvula, Idiofa* altera.

PROV. CANADAE INFERIORIS. — *Gaspesiense Seminarium Minus dioecesanum Sancti Francisci Xaverii*, hoc anno 1926 ab Episcopo recentis dioecesis Gaspé commissum est Societati, ita ut integra eius administratio penes nos sit, praeter administrationem oeconomicam, quae apud Episcopum manet. Apertum est Seminarium, ineunte mense septembri. — *Seminaire*, Gaspé (*P. Q.*).

PROV. HIBERNIAE. — *Galwiense Collegium*, ob urbis tenuitatem, suspendi debuit et in Residentiam conversum est a mense iunio 1926. — *St. Ignatius Church*, Galway (*Ireland*).

Hong-Kong in Sinis, exeunte anno 1926, duo tresve e Nostris petierunt ad futurum Collegium parandum, de quo supra dictum est (1). — *62 Robinson, Road,* Hong-Kong.

Assistentia Americae:

PROV. CALIFORNIAE. — *Sanctae Clarae Universitatis Schola Praeparatoria* condita est in urbe *San José* B. Roberto Bellarmino dicata, et ineunte anno 1926 coepta est frequentari. — *University of Santa Clara High School, Emory at Elm St.*, San José (*California*).

In *Alaska Australi* dissoluta est Anchoragensis Statio, sed aliae duae novae Stationes inchoatae: *Skagwayensis* et *Wrangellensis*.

PROV. MARYLANDIAE-NEO EBORACENSIS. — In *Missione Jamaicensi* pro Statione S. Familiae apud Glengoffe, quae derelicta est, inchoata est nova Statio S. Maria in *Above Rocks P. O.*

PROV. NEO AURELIANENSIS. — *Collegium Immaculatae Conceptionis* novam sedem in eadem urbe Neo-Aurelianensi obtinet, priore domo in Residentiam conversa. — *College of the Immaculate Conception, 4133 Banks St.*, New Orleans (*La.*).

Oklahomensis Residentia derelicta est.

---

(1) V. supra, p. 530.

IV.

NUNTII VARII EX PROVINCIIS ET MISSIONIBUS.

Ex Assistentia Italiae.

PROV. ROMANA :

Pontificium Collegium Pium Latinum Americanum. — Augescente in dies alumnorum numero, magnae exstructiones additae sunt prioribus aedibus et interna contignationum dispositio nonnihil mutata est. Villa quoque pro aestivis vocationibus ex imis est aedificata amoenissimo loco *Montenero* ad littus maris Tirreni prope Liburnum *(Livorno)*, quae iam hoc anno rusticantes alumnos excipere potuit.

Collegium Germanicum et Hungaricum. — Die 25 maii 1926 sollemni dedicatione consecrata est ab Emo. Card. Basilio Pompilj, Urbis Vicario, ecclesia S. Petri Canisii Collegio adnexa, ut supra fusius retulimus (1).

PROV. NEAPOLITANA :

Neapolitanus Convictus itemque Collegium SS. Cordis. — Neapoli, Collegium SS. Cordis et Convictus item SS. Cordis (« Collegio Pontano » et « Convitto Pontano ») quinquagesimum vitae annum eximia sollemnitate una simul celebrarunt. Die 12 decembris 1926 in magnifico templo SS. Nominis Iesu pontificio ritu sacris operatus est Em. Card. Archiepiscopus Alexius Ascalesi, ampla circumdatus alumnorum et exalumnorum corona: sicque D. O. M. debitae sunt gratiae persolutae. Conspiciendus erat in hac caeremonia religiosa, Regius Minister a publica instructione, Excellentissimus Dominus Petrus Fedele: id quod quam sint conversae publicae res in Italia ostendit.

A meridie, post epulas, secuta est commemoratio civilis et gratulatoria, summis viris adstantibus. Tres orationes praecipuis plausibus exceptae sunt: primam habuit supremi Italiae tribunalis Praeses idemque regni Senator Ill.mus vir Marianus D' Amelio Collegii ex-alumnus: secundam P. Iosephus De Giovanni et ipse olim alumnus nuper autem Collegii Rector: tertius locutus est Excellentissimus Minister Fedele. Hic autem dixit se non tantum suo, sed nomine etiam, immo « iussu », ipsius Ducis Mussolini tanquam gubernii legatum advenisse, recensuit

(1) V. supra pag. 571.

luctam Collegii contra sectam francomurariorum nunc ab Italia expulsam et aperte passus est illud verissimum effatum : « inter fidem et scientiam non esse dissidium », adiiciens matutinas preces, ut pueri solebamus, nos semper ad Deum dirigamus oportere. Epistolae quoque Pontificiae ac Patris Nostri lectae sunt : telegrammata varia ad proceres quosque, qui dederant, missa.

Denique actio quam aperuerat « Hymnus triumphalis » P. Nicolai Rillo, eiusdem laudatissimo carmine elegiaco clausa est. Persaepe etiam publice privatimque memoria revocata P. Nicolai Valente; primus namque fuit Collegii Fundator ac Pater, cui lapis marmoreus est dedicatus.

Residentia Tarentina. — Petente Archiepiscopo, unus e Nostris huius Residentiae, P. Seraphinus M. Atella, onus suscepit moderandi instructionem religiosam in scholis mediis, quas vocant, totius urbis. Quamquam ex nova lege italica, catechismus ex obligatione explanandus quidem est in scholis primariis seu elementaribus, in aliis vero non adest haec obligatio, sed solum datur facultas ut huiusmodi instructio impertiatur volentibus : tamen mille et quingenti numerantur Tarentini alumni qui sponte scholam religionis assidue frequentant. In classibus lycaealibus ipse Archiepiscopus doctrinam christianam explanat, supplente Patre Atella si quando Reverendissimus Dominus impediatur : idem Pater autem ordinarias lectiones habet in quatuordecim classium sectionibus.

PROV. SICULA :

Missio inter Santalos in Bengalensi regione, quae anno praeterito commissa est P. Antonio De Bono, primo missionario e Provincia Sicula in adiutorium PP. Belgarum illuc misso, paulatim crescit. In fine anni 1925, cum Pater christianos visitaret ad aliquam distantiam stationis suae Majlispur, quidam Mahometani illum percutere attentarunt et captivum tenuerunt, donec misso clam telegrammate, post captivitatem 30 circiter horarum, ab apparitore liberatus est. Re ad iudices delata, mense ianuario 1926 omnino vindicata est agendi ratio Patris, qui neophytos suos defendebat contra usurarios, aggressoresque condemnati sunt. Huic Patri circa finem anni datus est adiutor P. Beniaminus Cauchi, ex eadem Provincia Sicula recens in Missionem advectus.

PROV. VENETA :

Exercitia Spiritualia. — In una Domo Exercitiorum Triuggiensi a SS. Corde Iesu nuncupata hoc anno 54 Exercitiorum cursus traditi sunt : exercitantes vero ad 2155 numerabantur cuiusvis conditionis socialis, iuvenes praesertim et opifices. Peculiari memoria digni 100 *ur-*

bani vigiles, quos vocant, qui zelo et cura unius viri Mediolano Triuggium adducti sunt et per triduum de rebus animae suae serio cum Deo egerunt.

In Missione Mangalorensi vehementer desideratus est P. Faustinus Corti, qui die 9 octobris 1926 Mangalore pie in Domino obiit aetatis anno 70, Societatis 48. Curii *(Curio)*, in Helvetico pago Ticinensis, die 5 novembris 1856 ortus, magnis difficultatibus invicte superatis, paterna domo aufugiens Societatem ingressus est die 6 novembris 1878. Nondum sacerdos Indiam petiit anno 1884, ibique 42 solidos annos transegit, nec unquam in Italiam rediit nisi semel ad paucos menses valetudinis reparandae causa et ad benefactorum benevolentiam ardentius inflammandam pro pauperrimis suis *Pariahs*. Nam hisce infimae classis despectisque hominibus sublevandis et ad fidem convertendis totum sese dederat optimus Pater iam inde ab anno 1905, nullis parcens laboribus nullisque difficultatibus ac molestiis despondens animo. Post aliquot annos, quibus in lacrimis seminare visus est nullum fere fructum visibilem colligens, coepit tandem in exsultatione metere, praesertim in pago Naról et tota finitima regione, ubi fervidam christianitatem 6500 animarum moriens reliquit. Durissimam illam et miserrimam vivendi rationem tam diu strenue perpessus, debuit tandem, deficientibus viribus, amatissimum pagum Naról relinquere et Mangalorem in urbem se recipere, unde tamen post paucos dies ad sempiternam, ut sperare licet, coronam evolavit. R. I. P.

Ex Assistentia Germaniae.

PROV. AUSTRIAE :

Primi Missionarii in Sinas missi. — Die 4 aprilis 1926, ipso die Dominicae Resurrectionis, in templo Domus Professae Viennensi magno populi concursu habita est caeremonia salutationis et profectionis Patrum Leopoldi Brellinger et Alphonsi Duscheck, qui primi ex Provincia Austriae ad futuram Missionem inchoandam, interim cum Patribus Provinciae Campaniae laboraturi, in Sinas mittebantur. Eorum animi generositatem inopinato casu tentare voluit providentissimus Deus: nam, dum ad viam ferream capessendam automobili curru vehebantur, infelici quodam casu e curru in terram proiecti sunt: Pater quidem Brellinger illaesus mansit, sed Pater Duscheck leviter vulneratus est. Qui vero eos comitabatur, P. Iosephus Starzenski, Linciensis Collegii Rector non ita pridem renuntiatus, graviora vulnera rettulit, e quibus post multum temporis demum convaluit. Attamen, duo Missionarii, nihil hoc infortunio perterriti, eadem qua statuerant hora profecti sunt.

PROV. GERMANIAE INFERIORIS:

Industriae ad iuvandos opifices, quo facilius Exercitia Spiritualia peragere possint. — Ad impedimentum removendum vel saltem minuendum, quominus opifices aliique id genus viri ad Exercitia spiritualia peragenda se conferre possint, cum expensas necessarias plerumque solvere nequeant, variae variis locis excogitatae sunt industriae. Iuvat hic unam a PP. Germanicis adhibitam commemorare, quae fortasse etiam alibi aliqua ratione adhiberi poterit. En quomodo a Superiore Domus Exercitiorum Berolinensis describitur:

« . . . Chartae typis impressae sunt, quae praeter invitationem et exhortationem ad Exercitia obeunda, in ultima pagina praebent 30 quadrata. Quae quadrata tegenda sunt chartulis (*timbres*), specialiter in hunc finem confectis, quae domi nostrae emuntur pro dimidia parte unius *marcae*, ita ut 30 quadrata tecta adaequent pretium *15 marcarum*... Integro praetio ita sensim sine sensu soluto, ius acquiritur peragendi Exercitia vel mittendi aliquem ad Exercitia obeunda, quin ullum novum gravamen subeat ».

Mors P. Henrici Pesch. — Ultimus e tribus clarissimis huius nominis Patribus, qui Societati haud parvo decori fuerunt, P. Henricus Pesch supremum diem obiit in Collegio Maximo Valkenburgensi die 1 aprilis 1926. Magnum eius opus de « *Oeconomia sociali* », summis laudibus iure meritoque ubique exceptum, indefesso viginti eoque amplius annorum labore composuit tantaque cura in illud expoliendum incubuit ut non erubuerit, vir aetatem quadraginta sex annorum supergressus, annis 1901-1903 Berolini inter adolescentes sedere ad pedes magnorum Doctorum et ex eorum praelectionibus frequentique cum iis colloquio complura addiscere. Aetate laboribusque defessus, animo tamen semper iuvenis, amabilem hilaritatem usque ad finem, constanter prae se ferebat, quin et ad sepulcrum haec spiritualis laetitia eum comitari visa est: nam, cum kalendis aprilibus 1926, in Coena Domini, summo mane, divino pane refectus, in gaudium Domini introiisset, eius corpus terrae mandatum est vespere Sabbati Sancti, dum alleluia paschale iam in omnium animis personabat. R. I. P.

Monumentum ad honorem S. Francisci Xaverii in Iaponia. — Yamaguchi, in clara Iaponiae urbe, revelatum est monumentum ad honorem S. Francisci Xaverii erectum studio et cura non solum catholicorum sed etiam ethnicorum, quorum bene multi, proceres praesertim et professores, sollemni caeremoniae adfuerunt, praeeunte ipso Provinciae Gubernatore, cuius filiola duodennis velum, quo monumentum tegebatur, detraxit. Primus idem Gubernator, ethnicus ille quidem, sed christiana paene dixerim verba fecit; deinde RR. DD. Marius Giardini, Delegatus Apostolicus, tum venerandus fere nonagenarius

P. Villion e Missionum Exterarum Parisiensi Seminario, qui totius negotio indefessus promotor a multis iam annis fuerat. Aderant quoque exterarum nationum legati, et telegrammata gratulatoria aut litteras miserant Primus Iaponiae Minister, tres alii Ministri et plurimi primae notae viri ex tota Iaponia. E Nostris intererant RR. DD. Henricus Döring Vicarius Apostolicus Hiroshimensis et P. Hermannus Hoffmann Rector Universitatis Tokiensis. Monumentum autem est ingens Crux marmorea tredecim metra e solo eminens, cuius mediam inter brachia partem occupat Sancti Iaponiae Apostoli pulchra effigies ad modum magni numismatis sculpta. Locus vero, quo monumentum exsurgit, ille idem esse perhibetur, quo Sanctus ipse, cum in Iaponia degeret hospitio recipiebatur.

PROV. GERMANIAE SUPERIORIS :

Collegium Nostrorum Pullacense. — Novum hoc Collegium, S. Ioanni Berchmans dicatum, Scholastici philosophiae auditores habitare coeperunt mense septembri anni 1925; sed, cum quaedam aedificii partes tunc nondum essent perfectae, sollemnis aedificii et domestici sacelli benedictio in diem 31 ianuarii huius anni 1926 reiecta est, quo Eminentissimus Monachiensium Archiepiscopus Cardinalis Michael de Faulhaber illuc se contulit et sacrum ritum peregit.

Sed etiam Summi Pontificis benevolentiam experti sunt Nostri illi Pullacenses: nam, cum E.mus Card. Franciscus Ehrle mense martio huius anni Beatissimo Patri magnam photographicam Ipsius imaginem in illo Collegio exponendam ostendisset, Sanctitas Sua Apostolicae Benedictionis petitioni ibidem pulchre inscriptae fecit satis, propria manu subscribens ut infra. En utrumque documentum

Beatissime Pater,

Philosophiae in Provincia Germaniae Superioris S. I. professores et auditores, post amplius L annorum exilium, eo ipso quo S. Petrus Canisius, eiusdem Provinciae Pater et primus Moderator, ad Caelitum honores evectus est anno, in patriam collegio prope Monachium erecto feliciter reduces, ad Sanctitatis Vestrae pedes provoluti, Benedictionem Apostolicam humillime implorant, ut ab eodem S. Doctore in filios operisque continuatores assumpti, spiritus quoque ipsius haeredes fideles evadant.

Fiat, Fiat, Fiat!
PIUS PP. XI.
Peramanter perquelibenter.

VICEPROV. IUGOSLAVIAE :

Exercitia Spiritualia. — Praeter Domum Exercitiorum Labacensem, quae ante duos annos est aperta, etiam pro Croatis accommodata sunt in ea parte Residentiae Zagrabiensis, ubi olim erat novitiatus, cubicula, quae Exercitiis clausis praesertim pro studiosa iuventute habendis inserviant. Modestissimum quidem est initium, cum habeantur tantum 14 lectuli ; sed alea iacta est, nec deest spes ulterioris incrementi. Prima turma, quae haec Exercitia peregit, constitit ex 12 iuvenibus nostri coetus « Omladinci ».

Gymnasium Travnicense ius publicitatis integrum obtinuit. — Hoc gymnasium iam dudum erat iuris publici, attamen facultate carebat, ut Nostri magistri ipsi interrogarent in examine maturitatis, sed ad hoc semper extranei homines Sarajevo veniebant. Hoc anno die 27 martii gubernium nobis etiam hoc privilegium concessit, ea tamen lege « ut Nostri professores fuerint publice examinati ».

Ex Assistentia Galliae.

PROV. CAMPANIAE. — *Missio Trincomaliensis in insula Ceylan :*

Difficultates apostolatus. — Summo Missionariis dolori est paganorum conversiones, quae quindecim ante annos relative faciles et frequentes erant, nunc valde difficiles et rarae evasisse. Cuius causa est illius qui in pluribus Indiae regionibus viget *Nationalismi* renovatio in insula Ceylan. In rebus civilibus, *Self Governement* seu Indorum ab Indis ipsis directionem acriter vindicant. In rebus sacris, Religionem Christianam Europaeis nationibus bonam esse concedunt ; Hinduismum vero Indiarum nationi optimum esse praedicant ; deorum et dearum qui ab Indiis paganis adorantur cultus in India et Ceylan reflorescit, templa vetera restaurantur et nova aedificantur. Iuxta scholas nostras ubi catechismus docetur alias scholas suas ubi Hinduismus docebitur instituunt et pueros ad se allicere conantur. Attamen iuxta exspectationem suam res nondum successerunt et ex alumnis nostris nonnisi pauci inviti et solum prae timore nostras scholas deserunt.

Orandum igitur ut strenui illi Missionarii has Religionis inimicorum impugnationes quantocius debellare valeant.

Novi Sancti ac Beati coluntur. — Mense octobri 1925 etiam in hac Missione sollemnes tributi sunt honores nostro novo Ecclesiae Doctori S. Petro Canisio novisque nostris Beatis Martyribus Canadensibus. Ut autem cum pietati fidelium, qui eam maxime colunt, tum devotioni Carmelitarum indigenarum, quae eam sororem vocant, satisfieret, etiam

festivitas S. Teresiae a Puero Iesu festivitatibus nostris addita est. — Per tres dies in ecclesia paroeciali, a Sororibus Carmelitis splendide ornata, Missa cantata est, complures conciones ad populum habitae sunt et piae pompae per civitatis vias deductae, quibus omnes Christiani et non christiani per multi adfuerunt.

Deficientibus novorum Beatorum et Sancti Petri simulacris, Collegii Sancti Michaelis et Scholae Normalis alumni viventium statuarum partes egerunt. Sanctus Canisius catechismum et Crucifixi effigiem ferens, docentis similitudinem revera expressit. Sed maiorem admirationem attraxerunt octo Canadenses Martyres, qui palma et cruce insigniti procedebant, sequentibus octo Iroquensibus ducibus qui incessanter illos sagittis et lanceis lacessebant.

Unaquoque ex his tribus diebus, quod semper indigenas nostros summopere iuvat, pyrotechnicum spectaculum maximo cum gaudio contemplati sunt.

Triduo sic peracto, in Aula Maiori, quae ad omnes conventus magno usui est, puellae quae a Sororibus Carmelitis educantur, praecipuis vitae S. Teresiae eventibus vivide per 25 " Tableaux vivants " expressis, in auditores pietatem et aedificationem promoverunt.

PROV. FRANCIAE. *Missio Nankinensis in Sinis :*

De motu antichristiano. — Facinorosi homines ex Europa in Sinas profecti, odium in fidem christianam spirantes, iuvenibus studentibus tamquam instrumentis utuntur contra nostram religionem et scholarum institutionem. Innumera eorum scripta aut manibus praetereuntium distributa aut in muris et arboribus et portis et palis proposita, sub omni colore omnique figura, bellum christianismo declarant : " Christianismum evertamus ! Educandi potestatem nobismetipsis resumamus ! Adversemur politioris humanitatis cultui ! O vos 300.000 condiscipulorum, qui in scholis Missionum studetis, unanimiter nobiscum congregemini ! ,, Sic iam anno elapso clamabant tempore Nativitatis. In ista via perseveraverunt initio huius anni, sed frustra.

Collegium inchoatum Ricci in Nan-king. — De initiis huius novi Collegii supra diximus (1). Discipuli numerabantur : anno 1925-1926 primo semestri, 17 ; altero semestri, 37. Primo semestri huius anni scolaris 1926-1927, numerantur 50 nec plures sperantur pro altero semestri. Anno 1925-1926 habitae sunt 2 concertationes a discipulis. Mense maio 1926, in festo R. P. Superioris Collegii, declamationes et fabulae lingua gallica scriptae a discipulis datae sunt. In honorem R. P.

(1) V. supra pag. 664.

Provincialis, visitantis Missionem, mense decembri habita sunt coram eo exercitia scholaria varii generis.

Praedia et domus in urbe Nan-king tum ad hoc nostrum Collegium, tum ad opera monialium pro puellis fundata, in urbis parte centrali a Residentia missionis 2 circiter kilometris distante, usui discipulorum eleganter accommodata, die 15 mensis octobris adhiberi coeperunt. Interim in Residentia scholasticus annus a die 7 septembris orsus est secundum studiorum rationem quae sit praeparatio ad Universitatem et Collegium S. Petri Canisii in Shang-hai.

Dona RR. Vicarii Apostolici. — RR. DD. Prosper Paris S. I., qui anno superiore vigesimum quintum episcopatus annum celebraverat, quasi festivae sollemnitatis memoriam sodalibus suae Missionis relinquere voluit : nam sumptibus suis domum valetudinariam pro Missionariis aegrotantibus vel defatigatis aedificandam curavit in praedio, quod Societas emerat ad orientem civitatis Hai-tcheau in monte prope Mare Orientale et vicum Hiu-keou sito. Quaedam novae domus pars, a P. Ludovico Hermand per annum 1926 exstructa et parata, tempore vacationum iam septem Patres ad vires reficiendas hospitio excipere potuit.

Sed et alterum donum RR. Vicarius Apostolicus nostrae Missioni obtulit hac eodem anno scholari 1925-1926 : novam domum, inquam pro Schola Normali Zi-ka-wei constituta. Hae novae aedes duabus contignationibus constantes mense novembri 1925 perfectae erant et die festo S. Ioannis Berchmans illius anni a P. Rectore Seminarii benedictae ; habitari tamen non coeptae sunt nisi initio anni 1926. Alumnis accipiendis 100 parata est habitatio. Culina ipsis propria et aula recreationis adsunt. Ex adverso in eodem septo stat Schola externa S. Aloisii cum suis circiter 400 discipulis, in qua futuris magistris praesto sunt congrua vocationi suae exercitia. — Hoc anno alumni Scholae Normalis 56 numerantur non modo ex Vicariatu Apostolico Nankinensi, sed aliquot etiam ex aliis Vicariatibus Sinarum.

De novis Episcopis Sinensibus multa iam supra diximus (1), Facile coniici potest quanta cum laetitia faustissimum hoc nuntium exceptum sit in Sinis. Dum initio septembri RR. DD. Celsus Costantini, Delegatus Apostolicus, cum novis Episcopis itineri Romam se praeparat in Chang-hai, ut eos in urbe nostra congregatos secum adducat ad Romanum Pontificem qui sibi eorum consecrationem reservaverat, magnifico apparatu excipiuntur : die 6, cum adveniunt, in Procura nostra Yang-king-pang ; die 7, in residentia Zi-ka-wei ; die 8, in familia RR. DD. Tsu, cum RR. DD. Paris ; die 9, apud Consulem generalem Galliae ; et die 10, ad navem Americanam deducuntur minori navi

(1) V. supra pp. 531, 554 sq.

vaporaria a D. Lôh-pah-hong et 300 circiter sociis inter musicae et militiae et sinensi modo crepitantium ignium honores.

Longitudinum geographicarum recognitio. — Cum Astronomorum Unio internationalis meridianos circulos et longitudines antea computatas recognoscere statuisset, tres stationes elegerat quasi fundamentales ad hoc magnum opus aggrediendum, id est : Alger, S. Diego (California) et Zi-ka-wei. — P. Stanislaus Chevalier, Director nostri Observatorii Zikaweiensis, proposito assensum dedit. Anno 1926 decurrente, P. Petrus Lejay, doctor in scientiis, qui iam a pluribus annis in Observatorio Parisiensi se praeparaverat, designatus ad opus recognitionis in Zi-ka-wei, perficiendum, mense maio advenit secum afferens instrumenta necessaria. Pecuniario subsidio ex Academia Scientiarum impetrato, additum fuerat Zi-ka-wei unum meridianum telescopium, et ipsi delegato Patri dux militum D. Ferrié commiserat T. S. F. (ut dicitur) communicandi apparatum recentissimis inventis maxime perfectum. P. Mauritius Burgaud in septo Observatorii procuraverat aediculam recenter exstrui in qua minutissimis temporis momentis presse signandis accommodata pendula servari possit in eadem constanter temperatura.

Omnes Nostri qui Observatorio addicti sunt, duce P. Chevalier, collaboraverunt observationi siderum ad opus recognitionis requisitae. Ex Gallia missus quoque D. Fayet, director Observatorii Nicaeae, partem suam in vigiliis praestitit et in ceteris muneris negotiis. Hospitio acceptus in Observatorio et Residentia cum laboris sociis ad eamdem mensam, non sine animi gaudio remansit in Zi-ka-wei nec sine animae fructu inde recessit. P. Edmundus de La Villemarqué ex Observatorio Zô-sè venerat cum pluribus sinensibus supputatoribus, ut astrolabio factis observationibus praesideret. Plures quoque a P. Iosepho de Moidrey missi calculatores ex Observatorio Lô-ha-pang venerunt.

Tempus nocte et die datum est, per duos octobris et novembris menses, operibus ad presse tutoque determinandam Observatorii Zi-ka-wei positionem destinatis. Computationibus vero ex illis observationibus efficiendis necessarium tempus erit sex mensium Zi-ka-wei et plurium annorum Parisiis. Interea iam liquet ex primis et summariis consectariis mensuras adamussim esse factas, unde sperandum est longitudinis mutuam trium fundamentalium stationum distantiam posse ita determinari ut limites erroris non excedant aliquot metra.

Extremi Orientis Observatoria iam plura percontata sunt ab Observatorio Zi-ka-wei de his, quae ad ipsa ei secundum longitudinem connectenda inservire possint. Omnes quae de astronomicis vel cosmographicis rebus curant ephemerides scientificae, per partes descripserunt negotium hic perfectum et laudaverunt.

Ad maiorem Dei gloriam sit quod in annalibus Observatorii Zi-

ka-wei maximi momenti decus manebit, et quod, Deo adiuvante, ad exitum felicem perductum renovari permisit vel fundari commercium et amicitiam cum multis inter scientiarum peritos praestantissimis viris.

PROV. LUGDUNENSIS :

Ministeria varia. — In multis urbibus orationes ad viros habentur de religiosis argumentis, apolegeticis et doctrinalibus ; exempli causa, in civitate Claramontensi, unus e NN. de doctrinae, cultus, devotionis indole apud fideles in primaeva Ecclesia lectionum seriem cum fausto successu est aggressus. — In urbe Constantiniensi, in Algeria, 200 viri concionibus ad ipsos directis et ab uno e NN. habitis, in ecclesia Cathedrali intersunt. In urbe Oranensi, in ecclesia Cathedrali Pater quidam e Residentia, viros similiter singulis diebus dominicis alloquitur : auditores vero constanter ad 700 vel 800 confluunt.

In multis civitatibus, verbi gratia Lugdunensi, Gratianopolitana, Claromontana, Stephanensi, Aquensi, Massiliensi, Cannensi, coetus adolescentium catholicorum (*A. C. J. F. = Association Catholique de la Jeunesse Française*) numero et qualitate florent. Non tantum ad pietatem individuam formantur, sed etiam ad actionem socialem et religiosam pro condicione sua erudiuntur et exercentur. Sic anno 1926 concursus est institutus inter alumnos multarum scholarum, per totam Galliam, quis maiore eloquentia verba faceret ad vindicanda Religiosorum iura.

Annuus coetus Moderatorum variorum operum pro viris et adolescentibus in Provincia constitutorum feria II post Dominicam Resurrectionis est congregatus. Per integrum diem de modo delectos viros formandi et coadunandi fuit relatum et disputatum. Summe desiderantur viri, qui, apostoli simul et ducis dotibus praediti, fidei spiritu imbuti, in religiosa doctrina eruditi, abnegationis capaces, actuosi exsistant, et qui in arte dicendi apud multitudinem iam sint periti. Quae dotes cum sponte neque nascantur neque perficiantur, excoli debent et augeri, subsidio parentum et magistrorum in Collegiis, et etiam immediata institutione, asceticarum technicarum collationum, atque ope. Ad quem finem attingendum conspiratio inter moderatores, magistros et praefectos in Collegiis parentes summopere iuvabit.

Non negliguntur opera magis humilia in favorem famularum, piscariarum (*poissardes*), opificum ; et pluribus in locis pietatis et vitae christianae fructus abundantes obtinentur. Sancti Stephani, inceptum cui titulus « Horti pro operariis » (*Jardins ouvriers*) prospere procedit. In praesenti, 1030 horti totidem opificibus colendi traduntur ; et dum hortus colitur, animae etiam non tantum patrisfamilias, sed uxoris quoque et liberorum plerumque coluntur. In Algeria, in civitate Oranensi et Con-

stantiniensi, pergunt Nostri singulis annis multos pagos visitare in quibus nullus est sacerdos stabili modo degens. Quae visitationes cum magno concursu multoque fructu spirituali plerumque fiunt.

Missio Armeniae (*dispersa*). — Bona Missionis nostrae in Armenia non fuerunt aerario addicta. Unus e Nostris, in hac regione olim Missionarius, multo zelo multaque industria tandem successit in vindicandis bonis mobilibus ; nunc vero indefessos et patientes conatus adhibere pergit in Missionis iuribus quoad bona immobilia tuendis, sed in dies remittitur colloquiorum pactionumque conclusio.

Unus e Nostris de Armenis in Syria profugis anno superiore Romae conciones habuit. Plures Eminentissimi Cardinales et Galliae legatus apud Sanctam Sedem multo favore multaque benevolentia inceptum prosequuntur. Beryti schola pro pueris Armenis iam a duobus annis est instaurata ; in civitate Aleppensi simile quid mox tentabitur ; Damasci, Armeni in nostras scholas admittuntur.

Constantinopoli, opus cuius finis est Russis profugis opitulari adhuc viget. Initis colloquiis de Ecclesiarum unione, schismatici archiepiscopi quinque unionis fautores se palam exhibuerunt. In eadem urbe multae sunt scholae pueris egenis destinatae. Pro quibus scholis sustentandis anno superiore Summus Pontifex 50.000 italicarum libellarum est elargitus. Qua stipe adiuti, directores gratuitam offae portionem (*soupes gratuites*) 1000 pueris distribuendam curant. Pueri vero, ut Summo Pontifici gratias agerent, thesaurum spiritualem pietatis, mortificationis, abnegationis actibus constantem, ad ipsius intentiones applicandum, collegerunt, et gratum animum per epistolas a se exaratas et subsignatas significaverunt.

Missio Syriae. — Beryti officina pro Schola technica machinatorum (*Ecole d'ingénieurs*) aedificari coepta est. — Monachi Armeni rogaverunt ut suis studentibus liceret in nostro Seminario Orientali lectiones audire. Spes affulget conversionum cum inter Mahumetanos tum inter schismaticos. Sic prope urbem Homs, in una e praestantioribus tribubus, Hosseni dicta, schola modo est instaurata. Cum hi homines sint vagi, sub aliquo tabernaculo docetur ; dux vero totius tribus cum integra familia discipulus fieri coepit.

Missio Aegypti. — Duo Episcopi pro Coptis catholicis modo selecti sunt, uterque olim alumnus in nostro Seminario Berytensi.

In urbe Minieh, Nostri operarii multum laborant in ecclesia, in scholis, vel etiam per vicos excurrendo. In officina pro aegrotis medendis (*dispensaire*) 300 fere infirmis singulis diebus a Sororibus subvenitur. In eadem urbe Ecclesia catholica in dies augetur : cum 20 abhinc annis, 300 circiter numerarentur fideles, nunc ad 1600 creverunt. Multi schismatici cum graviter aegrotant a missionariis potius-

quam a propriis sacerdotibus visitari exoptant. Scholae Fratrum 200 pueros capiunt, Sororum vero 350 puellas ; praeterea 170 alumni gratuitas scholas frequentant.

PROV. TOLOSANA :

Mors P. Iosephi Calot. — Ambiani (*Amiens*, in Prov. Camp.), quo ministeriorum causa se contulerat, die 20 septembris huius anni 1926 subito fere exitu e vivis sublatus est P. Iosephus Calot, Apostolatus Orationis olim Moderator generalis delegatus, cuius mors non modo suam Tolosanam Provinciam, sed alios e Nostris bene multos compluresque externos, qui eum optime noverant, dolore affecit.

Cum tredecim solidos annos (1911-1924) magno Societatis operi Apostolatus Orationis eximie praefuerit, opportunum ducimus tanti viri memoriam in nostris hisce annalibus utut breviter servare, adhibitis fere verbis, quibus P. Iosephus Boubée, eius in moderando Apostolatu Orationis praedecessor idemque successor, in « *Nuntio ad Nuntios* » (1 oct. 1926) ad piam hanc mortem nuntiandam usus est :

« R. P. Iosephus Calot natus erat anno 1859, in dioecesi Tarbiensi, non longe ab oppido Lourdes, ubi modo apparuerat Virgo illa Immaculata, cuius ipse semper cliens fuit devotissimus. Iam a parentibus suis eximias ingenii dotes, simul ac virtutes christianas acceperat, ut in eius etiam fratribus videre est. Duo enim ex eis fuerunt sacerdotes, tertius Novitius S. I. mortuus est ; alius tandem est Doctor Calot, celeberrimus ille puerorum medicus, cuius fama per universum mundum sparsa est.

« Studiorum inferiorum emenso curriculo et presbyter factus, licentiatus in scientiis obtinuit gradum in Instituto catholico Tolosano. Cum vero de quibusdam zeli operibus instituendis cogitaret, se simul ad Societatem Iesu vocari sensit ; coepitque dubitare, utrum vocationi huic obedire, an operibus illis exsequendis incumbere, melius esset et Deo gratius. Libenter postea narrabat se, dum angoribus illis premeretur, iter longum instituisse a paterna domo ad Collegium usque Castrense Societatis Iesu, ut piae memoriae Patrem Paulum Ginhac inviseret. Qui illum benigne exceptum, duas fere horas allocutus, de voluntate Dei sic certiorem fecit, ut ne uno quidem temporis momento dubium deinceps circa illam habere potuerit. « Mihi enim, — aiebat, — luce clarius demonstravit, quidquid boni operis proprio marte acturus essem, oblationi longe cedere, qua me totum meaque omnia, sicut arborem cum fructibus, purae Dei voluntati per obedientiam devoverem ». Itaque, postquam novem annos in minori seminario Sancti Petri, dioecesis Tarbiensis, scientias docuerat, anno 1892 Societatem Iesu ingressus est.

« Ad professoris munus videbatur in Societate quoque nostra desti-

natus, quippe qui, praeclaro intellectu et in adolescentes amore vero praeditus, eis polleret dotibus, quibus in iuvenes praecipue augeatur influxus. Attamen, politicorum eventuum causa, post quatuor annos, officium docendi relinquere coactus, variis iam ministeriis et operibus se dedit; in quibus statim spiritualis director insignis et animarum mirus excitator apparuit. Spiritu enim supernaturali, qui ex se eminebat undique, et sua in Deum perfecta fiducia, quam aliis dare consueverat, mirum quantum animos attrahebat et eorum concitator erat. Qui eum sane cognoscebat, magis potentiam illam apprehendebat, qua insignes conscientiarum moderatores in animas potiantur.

« Sacrum ministerium, multo cum fructu, aliquot annos Monte Pessulano (*Montpellier*) exercuerat, cum, mense septembri 1911, institutus est Director generalis delegatus Apostolatus Orationis. Statim ab initio vim Foederationis nostrae supernaturalem promovere, eiusque in mundum extensionem urgere, corde magno et animo volenti, conatus est. Inter bellicas tempestates, ex urbe Tornaco (*Tournai*) in Belgio, Directionem generalem ad pristinas canonicasque Tolosanas sedes reduxit. Norunt Directores et socii nostri, quanto flagrantis animi impetu, quanta in Christum et Ecclesiam devotione, quanta praesertim in Cor Iesu SS. et Eucharistiam pietate, vires suas ad maiorem Dei Gloriam indesinenter impenderit. Prae ceteris autem virtutibus elucebant in eo affectus pietatis, intima cum SS. Corde Iesu in Eucharistia vivente unio, caritas in proximum benignissima, et filialis animi in Societatem Iesu tenerrimus sensus.

« Zelo laboribusque fractus, circa finem anni 1924, bonus ille Christi miles e munere suo debuit cedere. Residentiae Nemausensi per obedientiam praefectus, thesauros experientiae suae auxiliaque suae caritatis animis, sacerdotum praecipue, largiri non destitit. Exercitia spiritualia suis in Societate fratribus Ambiani *(Amiens)* ad Sancti Acheoli tradebat, cum, repentina suffocatione correptus, decumbere coactus est. Paucis diebus elapsis, per quos dulcia de more suo colloquia circa Societatem Iesu, gaudiumque in ea vivendi et moriendi miscebat, ad aeternam gloriam a Domino vocatus est ». R. I. P.

Ex Assistentia Hispaniae.

Prov. Aragoniae. — *Missio Philippina :*

Mors P. Philippi Millán. — Die 26 octobris 1926, in insula Culión, quae est colonia leprosorum in Philippinis obiit P. Philippus Millán (Prov. Castell.) « leprosorum pater » appellatus. Unam tantum hebdomadam paralysi aegrotavit; Sacramentis munitus, e nova valetudinaria domo, quam ipse construendam curaverat, quamque decem tantum dies incoluerat, ex hac vita migravit annum agens duodesexagesimum. R. I. P.

PROV. BAETICA :

Mors P. Tiburtii Arnáiz. — Iam tetigimus supra (1) magnam populi venerationem P. Tiburtio Arnáiz, Málacae die 17 iulii 1926 vita functo, sponte tributam. Natus erat indefessus ille vineae Domini operarius Vallisoleti (*Valladolid*) die 11 augusti 1865 et Societatem sacerdos ingressus est die 30 martii 1902, Provinciae Toletanae adscriptus. Post novitiatum, rhetoricam biennio recoluit itemque biennio philosophiam; theologiae demum morali repetendae anno scholari 1908-1909 operam dedit. Ex hoc tempore ad mortem usque ministeriis sacris, popularibus praesertim missionibus habendis et Exercitiis spiritualibus tradendis, magno cum animarum lucro addictus fuit. Zelo apostolico inflammatus, multas dioeceses eximius verbi Dei praeco peragravit, potissimum in regione Baetica, cui Provinciae post separationem a Toletana adnumeratus est. Sui contemptor sincerus, doctrinae christianae promotor strenuus, non quae sua essent sed quae Christi unice quaerens, in mediis laboribus cecidisse dici potest, cum e pago Algodonales, ubi concionabatur, die 10 iulii Málacam iam tam graviter aegrotus delatus sit, ut vix hebdomadam vita superaverit.

Quanti vero fieret non modo a popularibus, sed a clarissimis quibusque viris, praeter quam ex honoribus quibus ei vita functo parentatum est, vel ex eo apparet quod cum sancto illo SS. Cordis apostolo, P. Francisco de Paula Tarín, de cuius beatificatione iam causa agitatur, passim conferretur, ut apertis verbis testatus est Eminentissimus Hispalensium Archiepiscopus, Cardinalis Eustachius Ilundain y Esteban. R. I. P.

PROV. CASTELLANA. — *Missio Sinensis de Wu-hu :*

De progressu Missionis. — Numerus christianorum initio curriculi 1926-1927 erat 33.662 (augm. 1.079). Baptismi adultorum fuerunt 723 (augm. 109). Baptismi infantium catholicorum 1170 (augm. 37). Baptismi infantium infidelium 2474 (augm. 441). Communiones per annum 180.258 (augm. 12.134). Pueri catholici scholarum 1161 (augm. 88). Puellae catholicae 929 (augm. 164).

Occasione belli civilis quod a mense septembri 1926 in provinciis vicinis Houpé et Kiang-si grassatur, milites aufugientes, aut etiam veri latrones in parvis pagis multa crimina perpetrarunt.

Vices P. Iusti Pérez. — Primus in perferenda cruce fuit P. Iustus Pérez, missionarius in Ts'ing-chan-kiao cuius domus spoliata, vestes, ornamenta, vasa sacra a facinorosis hominibus ablata sunt. Missionarius

(1) V. supra, pag. 551.

ipse potuit tempestive fugam arripere et, Deo sint gratiae, nihil aliud perpessus est.

Vices P. Francisci Goñi. — Non ita feliciter evasit vicinus eius, P. Franciscus Goñi, missionarius in Niang-kia-kiao, qui cum a puella quadam moneretur in schola puellarum virginem Praesentandinam ab aliquibus latronibus verberari, accurrit illuc ut videret quid esset. Statim ut latrones Patrem cernunt, irruunt in eum ferociter, increpant magnis vocibus, bis, ter, quater, saepius verberant et postremo, ligatis retro manibus eum ad Residentiam conducunt, minantur cum suis armis dicendo statim summam 10.000 patacarum ipsis esse tradendam, alioquin Patrem armis fore confodiendum.

Cum Pater in capsa tunc temporis solum haberet 70 dollaria, ducitur ligatus in remotum locum, ubi Pater ab illis hominibus occidendus esse sibi vere visus est. Deinde cogitur ascendere montem, et cum Pater non posset libere incedere et extrema defatigatione pressus in terram caderet, ictibus latronum coactus est progredi ad cacumen montis cum quodam christiano, item vincto, qui comitabatur Patrem. Tunc, restituta illi christiano libertate, haec verba fecerunt : « Videas quomodo intra duas horas, sive ex Residentia Patris, sive collecta inter christianos, afferas huc summam 10.000 patacarum. Si post duas horas reducem non te habemus, reperietis hic deinde cadaver Patris ».

Cum inter magnam eius anxietatem tempus transegisset et demum christianus ille manibus vacuis rediisset : « Moriendum tibi est » clamant homines. Missionarius lenibus verbis eos alloquitur et dicit : « Si parumper etiam nunc exspectare velitis, forsitan aliqua pecunia inveniri poterit ; si vero nunc me statim occiditis, quid emolumenti habebitis ? » Quibus verbis illorum ferocitas sedari tantisper visa est. Sed quia nox appropinquabat, non tantum manus sed etiam pedes Patris tunc fortiter alligant, qui in tam molestissimo statu, discooperto capite, sine ullo operimento, noctem transigere debuit.

Demum, Deo sic volente, relicto Patre, latrones abierunt, quorum unus, illo rogante, manuum vincula solvere dignatus est. Pater, quia nondum audebat domum redire, per tres dies intra montes illius loci absconditus vitam egit, magna caritate tam christianis quam paganis necessaria ad victum et vestitum ministrantibus. Cum demum in Residentiam se recepit, proh dolor ! domum ab imo ad summum spoliatam invenit. Raptores qui post latrones advenerant illorum opus perfecerunt, ex templo et domo Patris omnia auferendo et quae non abstulerant sparsa huc illuc reliquendo.

Non post multos dies, tam P. Pérez quam P. Goñi ad Residentiam P. Ministri, in San-li-kai, se contulerunt animos relaxandi et vires reficiendi gratia.

PROV. COLUMBIANA:

Mors P. Emmanuelis Ignatii Santa Cruz Loidi. — Die 10 augusti 1926 in Collegio Pastensi supremum diem obiit P. Emmanuel Ignatius Santa Cruz Loidi, qui aetatis annum 85 agebat, sed in Societate nonnisi sex annos et decem dies vixerat. Singulares longaevi huius viri casus digni profecto sunt, quorum memoria servetur. — Natus hic erat in Hispania prope Tolosam Hispanicam anno 1842 et, Victoriensi dioecesi adscriptus, sacerdotio auctus est anno 1866. Post aliquot annos in parochiali munere transactos, cum anno 1872 quaestio dynastica in Hispania rursus coepta esset agitari, parochus Santa Cruz, de religione et iustitia se bene meriturum arbitratus, nova, ut putabat, Cruciata inter suos populares indicta, eos armis bene instructos ad pugnam ipse duxit et per annum fere integrum tanta dexteritate, etsi bellicae artis penitus ignarus, suum ducentorum virorum manipulum direxit, ut magnum etiam inter hostes sibi nomen acquisierit. Pluries ab hostibus captus, mira industria semper ab eorum manibus effugit: omnes tamen, vel acerrimi adversarii, eius animi rectitudinem nunquam non sunt admirati.

In Galliam primum, deinde in Belgium, mox in Angliam se recepit. Ab anno 1876 ad 1891 cum Nostris communem vitam duxit in Missione Iamaicensi, strenuus quoque laborum Nostrorum particeps. Anno demum 1892 Pastum in Columbiam traiecit, Collegii nostri hospes carissimus, in eaque urbe et domo quasi unus e Nostris ad finem usque vitae suae degit. Quod ardentissime semper optaverat, quod magnis in vinea Domini exantlatis laboribus sibi promereri studuerat, hoc tandem impetravit die 30 iulii 1920, quo die septuaginta octo annos natus in Societatem receptus est, sed ei a Sancta Sede concessum ut novitiatum in eodem Pastensi Collegio perageret, ubi et prima Scholasticorum vota emisit die 31 iulii 1922. Post quatuor annos die 10 augusti 1926, ut diximus, pie in domino obdormivit in pago Sancti Ignatii, ab ipso prope Pastum condito et assidue exculto, ibique sepultus est. R. I. P.

PROV. LEGIONENSIS:

Insula Cuba. — Die 20 octobris 1926 ingens ventorum turbo ruinam et mortem late disseminavit in tota insula Cuba, sed potissimum Habanae, in urbe insulae principe. Peiora tamen fuissent damna, nisi instans periculum tempestive praevisum et iam inde a die 17 octobris nuntiatum fuisset a nostro Observatorio meteorologico Collegii Belén propre Habanam. Qui nuntius cum statim vulgatus esset, tam a publicis magistratibus quam a privatis civibus peropportuna consilia inita

sunt ad ventorum impetum praecavendum et, quantum fieri posset, infrigendum. Nihilominus plurimae fuerunt, pauperum praesertim, domus dirutae, complures humanae victimae, multae familiae tecto orbatae; ideoque magnus fuit exercendae caritati locus, nec Nostri tam christiano officio defuerunt, potissimum hospitio receptis in Collegium et cibo refectis bene multis miserorum turbis.

Missio Ankingensis in Sinis. — Toto anno 1926, medias inter alias Missiones bello civili vastatas, nostra haec Provinciae Legionensis Missio satis tranquilla fuit. Attamen milites seu potius latrones exercitus meridionalis ("Sudistae" vocantur) huius quoque Missionis fines attigerunt et mense decembri urbem Yingshanhsien invaserunt. Ad eos repellendos mandarinus alios milites accersivit et inter duos manipulos pugna exarsit. P. Iosephus González Olmedo fideles suos terrore perculsos animo, quantum poterat, erigebat; sed ex his duo graviter vulnerati ceciderunt et Pater vix eos Sacramentis munire potuit. Tranquillitate tandem restituta, unus ex christianis vulneratis mortuus est, alter melius se habere coeperat, quando Pater haec referebat.

PROV. TOLETANA:

Monumentum SS. Cordis Iesu in Monte Acuto. — Die 31 octobris, quo primum festum Christi Regis celebrabatur, in Monte Acuto prope Murciam sollemniter inauguratum est ingens monumentum SS. Cordis Iesu, non sine sollerti Nostrorum cooperatione a dioecesi Carthaginiensi erectum. Ad laevam statuae SS. Cordis in base monumenti minor quaedam statua S. Francisci Xaverii cernitur duos indos suum Redemptorem adorabundos adducentis.

Ex Assistentia Angliae.

PROV. ANGLIAE:

Residentia Vigorniensis. — Syndicus Vigorniae urbis (*Worcester*) unus e nostrae Congregationes Marianae sodalibus mense novembri 1926 in annum 1927 est electus: vir mirae pietatis, Missae in templo nostro summo mane administrans et quotidie sacram Mensam frequentans. Vix electus, lictoribus suis stipatus. senatoribus (*aldermen*) compluribus, officialibus ac magistratibus comitantibus, publice Sacro adfuit, in quo P. Minister ut Capellanus orationem, haereticis quoque auditoribus, de divino in rebus quoque civilibus petendo auxilio habuit.

PROV. BELGICA:

Exercitia spiritualia. — In domo Trunciniensi duae virorum selectae classes Exercitiis spiritualibus excoluntur, scilicet Sacerdotes et domini laici. Illi decem dies tanto operi insumunt, nulla recreatione ha-

bita et methodo S. Patris adamussim adhibita. Sic ab anno 1916 ad 1926, 1053 Sacerdotes sese exercuerunt, inter quos praecellebant Archiepiscopus Mechliniensis, Episcopi Namurcensis et Tornacensis, et Episcopus Coadiutor Leodiensis : Vicarii praeterea generales, et Universitatis Seminariorumque Professores bene multi. Pro dominis autem laicis quotannis septem secessus lingua gallica, quatuor lingua flandrica offeruntur, ad quae fere quingenti viri conveniunt.

Missio Calcuttensis. — Die 13 martii 1926, sollemni ritu in Pontificali Romano praescripto, RR. DD. Ferdinandus Périer, Calcuttensis Archiepiscopus, *ecclesiam Ranchensem* consecravit. Convenerant ad caeremoniam magna multitudo indigenarum ex variis partibus Chota Nagpore. Haec est prima ecclesia in Archidioecesi Calcuttensi cui haec praerogativa contingit ut perfecte cultui divino dedicetur.

In Seminario Kandyensi mense maio solemniter benedictum est novum sacellum, praesentibus multis ex antiquis Seminarii alumnis, qui saepe fundamenta ab anno 1892 parata contemplati erant vixque speraverant opus unquam completum iri. Largitio multorum benefactorum hoc effecit ut tandem clerici ex omnibus Indiae partibus confluentes digno orationis loco fruerentur.

Adoratio SS.mi Sacramenti per unum integrum diem in singulis ecclesiis ab Archiepiscopo praescripta fuit : multum contulit haec praxis ad fervorem augendum ; ubique designatus dies fuit dies magnae devotionis, adeo ut mense novembri Archiepiscopus commendaverit ut annis sequentibus haec adoratio bis fieret. Simul magis ac magis fovetur devotio erga SS. Cor Iesu ; ubique augetur numerus familiarum SS.mo Cordi consecratarum ; Missionarii ubique cum magno apparatu primam feriam sextam mensis celebrant, gaudentque homines locis valde distantibus ad ecclesiam venire ut illa die sacram Communionem recipiant ; atque, contra ac aliqui timebant, haec praxis non nocet assistentiae Missae die Dominica sequenti. Festum novum Christi Regis, multis locis, Calcuttae et in Chota Nagpore, fuit cum maxima pompa celebratum.

Feracissimus ager hoc anno fuit *Status Independens Gangpur*, in quo iam diu gaudemus protectione primi ministri reguli ; attamen recusat regulus ipse licentiam dare ad erigendam stationem in loco quem Missionarii aptissimum iudicant. Interea crescit numerus christianorum in quatuor exsistentibus stationibus : multi admissionem petunt in Ecclesiam ; operi impares sunt Missionarii. Versu finem anni additus est unus Pater qui in Gaibira residens visitabit Mundarenses qui catholici fieri cupiunt ; recenter e sua regione emigrarunt ut tamquam coloni vastos silvarum tractus occuparent.

In *Iahspur*, cum regulus sit sub tutela Gubernii Britannici, habetur pax, imo ille amicitiam Patrum quaeritat ; sed impediuntur pro-

gressus : nihil novi licet aedificare, atque in fovendis conversionibus prudentissime est agendum. E Statu vicino *Sirgüja* multi se offerunt et paulatim instruuntur in Musgutri ; verum eorum regulus nullam habitationem Missionariorum, nullam scholam aut sacellum aedificare permittit. Ceterum hic, ut in Gangpur, Missionarii pauciores sunt numero quam ut possint efficaciter promovere opus conversionis et instructionis.

Filiae S. Annae, seu Sorores indigenae pro Chota Nagpore institutae, nunc 11 parvos conventus in variis stationibus habent, atque in nonnullis aliis Missionarii aedificia praeparant ut illas recipere valeant. Earum numerus singulis annis crescit, earumque religiosus fervor omnibus exemplo, utilitas vero ad puellarum educationem magis magisque in dies apparet. Magna sentitur difficultas ad sustentandas Sorores has indigenas : in hunc finem, ut melius cognoscantur in Belgio, et benefactores inveniantur, scriptum est ab uno e Patribus opusculum de Sororibus indigenis.

PROV. HIBERNIAE :

Sacra Exercitia in contuberniis militum. — Anno 1926, hebdomada Passionis, summis etiam ducibus faventibus et adiuvantibus, exercitus hibernicus feliciter sacris Exercitiis excultus est. Per id tempus exercitationes militares licentiaeque abeundi omnes suspensae sunt. Litterae ad omnia castra, ad omnia contubernia tempestive missae sunt, a legato ipsius summi ducis subscriptae, quibus quantum universis et singulis sacer secessus profuturus esset explicabatur, simulque edicebatur universis ut duces et praefecti et centuriones conventibus omnino, cum suis quisque, adessent ac religiose vacarent : ordinem diurnum, quatenus opus esset, mutarent : horarum partitionem, quae cum litteris communicabatur, unice servarent : omnia palam et aperte fierent.

Exstant in Hibernia pro militibus multa sacraria ac templa quae olim ab Anglis exstructa ac ritibus acatholicis destinata, nuper a regimine militari catholico purgata ac restaurata, religioni nostrae magno usui esse coeperunt (nam exercitus hibernicus magna ex parte catholicis constat, ita ut inter 15.000 militum vix 150 acatholicos invenias), ibique plerumque SS. Sacramentum asservatur et quotidie a sacerdotibus Sacrum peragitur.

Ergo, die condicto, in hisce templis catholico ritui restitutis cum omni militari apparatu exercitationibus sanctis initium factum est. Recurrebat ea die (Dominica Passionis) anniversaria memoria dedicationis Hiberniae ad SS. Cor Iesu (1873) : felix omnino auspicium. Primo fiebat Sacrum, mox religiosa instructio a P. Directore habebatur ; accedebat Sanctissimi Sacramenti expositio quae in totum diem,

quibusdam militibus semper excubantibus, protrahebatur. A meridie, post Marianum Rosarium recitatum et carmen religiosum decantatum, sermo gravis et sollemnis de aeternis veris habebatur, quem excipiebat augustissimi Sacramenti benedictio, quae diem claudebat.

Quantus porro fructus exstiterit, ex sacris confessionibus quae quotidie per plures horas excipiebantur, apparuit; itemque ex communi ad sacram Mensam concursu in festo Palmarum; ex generali item votorum baptismi renovatione post ultimam concionem. Numerus quoque participantium exspectationem superavit, v. g. in contubernio «Portobello» apud Dublinum nongenti frequentes intererant. Quod autem tanto operi coronam imposuit, et divini favoris testimonium evasit, fuit singulorum castrorum ad SS. Cor Iesu consecratio et in eorum templis, de quibus diximus, Apostolatus Orationis «Centra» constituta. Ita nunc ubique in contuberniis militaribus Crucifixi simulacrum, SS. Cordis imago ac B. Virginis effigies arridet et favet.

Ex Assistentia Americae.

Prov. Californiae:

Antiqua ecclesia Missionis Sanctae Clarae igne destructa. — Die 25 oct., mane hora septima, antiqua Missionis Sanctae Clarae ecclesia igne tota destructa est. Eodem incendio partiim combusta sunt nonnulla alia aedificia ad Universitatem Sanctae Clarae pertinentia, scl. alumnorum oratorium, rerum musicarum conservatorium, iuris civilis bibliotheca, alumnorum refectorium. Damnum ab igne proveniens circa 200.000 dollariorum aestimatum est. Incendii causa remanet ignota; sunt autem qui putent filum aliquod electricum ab aliis non bene seiunctum scintillam igniferam fortasse genuisse.

Alumni nostri et membra societatis municipalis ad incendia compescenda maximis viribus laboraverunt et flammas restringendas, et quamvis ruinam ecclesiae avertere non potuerint, incendium tamen ita restrinxerunt, ut sese non extenderet ad maiora Universitatis aedificia. Permultos magnique valoris libros et alia pretiosa alumni summa audacia ex incendio eripuerunt. Heroico conatu salvarunt magnam campanam a rege quodam hispanico ecclesiae antiquitus datam.

Opus reconstructionis mox incepit. Multi amici et alumni pecuniam et bona sua officia nobis promiserunt ad templum Missionis reaedificandum.

Exercitia spiritualia pro laicis. — Associatio virorum catholicorum, cui nomen «Knights of Columbus», nuper publice approbavit Exercitia spiritualia pro viris tradita apud nostram Exercitiorum Domum

« El Retiro S. Iñigo », in Los Altos. Associatio ista designavit delegatos quosdam qui cum eorum capellano cooperarentur in Exercitiis spiritualibus inter diversa concilia horum « Knights » in California promovendis. Capellanus vero iste pro hac Associatione in California, est Pater Iosephus Stack S. I., Superior Domus Exercitiorum apud « El Retiro ». Multi ex viris ad praecipua officia in hac Associatione recenter electis, mense octobri Exercitia spiritualia peregerunt.

Silvester Adriano, eminens vir Catholicus, Procurator loci qui vocatur « Bay Region », ferventem hortationem ad exercitia promovenda publicavit in ephemeride dioecesana; omnes strenue urget ad Exercitia quotannis peragenda tamquam praeparationem optimam ad duces in campo catholico efformandos.

Exercitia fecerunt nonnulli etiam acatholici magni nominis, ut e. g. Warren Porter, quondam gubernator legatus Status Californiae, et D. Nielson, quondam assistens secretarius Thesauri Publici; ex his acatholicis plures post Exercitia peracta Ecclesiam catholicam ingredi petierunt et baptismum sunt adepti. Patres nostrae Exercitiorum Domus frequenter ad Exercitia promovenda praedicant in variis Archidioecesis paroeciis; a parochis semper benigne suscipiuntur.

Ex Collegio Loyola: Los Angeles. — Novembri 1926: Numerus alumnorum multum crescit. Iam habemus circa 1000. In academia dantur 550 alumni; ceteri vero sunt vel in collegio vel in cursu iuris civilis, vel in cursibus praeparatoriis ad medicinam, ad negotium, ad scientiam machinarum.

Ex Los Gatos. — Numerus Novitiorum scholasticorum multum crescit. Hoc anno ingressi sunt quadraginta. Habentur nunc septuaginta septem Scholastici in novitiatu. Propter incrementum Novitiorum novum aedificium pro eis nunc exstruendum est. Renovatur etiam Iuniorum aedificium et pars nova superadditur.

Ex Universitate Gonzaga: Spokane. — Episcopus RR. DD. Raphael Crimont S. I., quando in Alaskam redibat ex Congressu Eucharistico Chicagiensi, aliquot dies nobiscum commoratus est. Quinque Indi « Eskimo » eius Missionis cum eo iter fecerunt. Indi vero isti, bono ingenio praediti et pietate imbuti, omnibus testimonium optimae educationis catholicae a Missionariis nostris impertitae clare exhibebant.

Vocationes in Alaska. — Scribit Superior huius Missionis, quosdam pueros qui a Nostris instituuntur signa vocationis ad Societatem portendere: moxque in primam probationem immo et in secundam posse gradum facere. Fructus id est quotidianae communionis, simulque diligentiae qua a Nostris excoluntur et in amorem Iesu Christi ac purissimae Matris excitantur atque in vitam spiritualem pro captu eorum introducuntur. Atque haec est ratio cur universim in tota illa iuventute bonus vigeat spiritus, crescat morum puritas, et iam a pluribus annis

plures ad sacerdotium aspirent: optimam ergo hi de se spem faciunt. Atque haec vera sunt non obstante maiore libertate quam, ut ubique, etiam ibi praesens offert saeculum.

Pater Iosephus Treca S. I. — Die 16 Sept. 1926 pie in Domino obiit Pater Iosephus Treca S. I., qui per 37 annos in missionibus Alaskae impense laboravit. Natus est die 6 Martii 1854, secundus trium puerorum praeclarae familiae apud Douay in Gallia. Die quo prima Sancta Communione refectus est specialem favorem a Christo Domino in Eucharistia recepit. Dum expectabat ad sacram Mensam, vidit unam ex Hostiis in sanctuario decisam, magnaque admiratione notavit locum ubi iacebat Hostia magno lumine circumdatum; eodem tempore Iesus Christus, sub figura pulcherrimi Infantis, ei apparuit et animum eius maxima consolatione inundavit. Post multos annos hoc factum confessario suo in Alaska narravit, illum vero admonens ne unquam quidquam hac de re diceret nisi post eius mortem.

Undeviginti annos natus ingressus est Societatem prope St. Acheul 2 Nov. 1873. Quando cursum theologiae peragebat, vocationem ad missiones in se sentiens, sese obtulit superiori Montium Saxorum Missionis. Anno 1889 post tertium annum probationis assignatus est missioni inter Indos « Coeur d'Alène », apud Desmet in Idaho. Brevi autem tempore Superior illum misit ad Missionem Sanctae Crucis in Alaska. Per multos annos strenue magnoque cum fructu laboravit per totam Alaskam Septemtrionalem: vitam mortificatam et apostolicam multisque privationibus repletam constanter fortiter servans.

Anno 1900 memorabile iter 300 millium passuum fecit nullo duce. Cum traha nivea et duobus amicis, magna cum patientia et summa virtute triginta fere dies per nives migravit inter incredibiles labores et miserias. Denique post iter adeo difficile ad missionem Sancti Michaelis advenit, ubi per multos annos curae animarum sese dedit. Hoc itinere dolorem intensum in crure dextro contraxit; et etiam post plures annos tantum ex illo crure passus est ut medici illud amputandum esse decernerent. Crus tandem amputatum est anno 1926 apud Seattle. Ibi post breve tempus Pater Treca obiit. R. I. P.

Prov. Missouriana:

Domus tertiae probationis. — Cum aedes tertiae probationis Clevelandensis igni consumptae sint mense aprili, dum reficiuntur vel potius denuo exstruuntur, tertia probatio in Statum North Carolina ad annum secessit, prope urbem Hot Spring, in regione quae ad Provinciam Neo Aurelianensem pertinet, sed domus Missourianae Provinciae adscripta manet.

PROV. NEO-AURELIANENSIS:

Fundator Collegii Immaculatae Conceptionis. — Cum dominus Henricus Prevost quingenta dollariorum millia dono dederit Collegio Immaculatae Conceptionis Neo-Aurelianensi, huius Collegii Fundator a Patre Nostro renuntiatur litteris die 22 novembris 1926 datis, ita tamen ut iuribus Fundatoris in sola Provincia fruatur.

PROSPECTUS SOCIETATIS IESU UNIVERSAE
EXEUNTE ANNO 1926

Assistentiae	Provinciae et Viceprovinciae	Sacerdotes	Scholastici	Coadiutores	Universi	Augmentum Sac.	Augmentum Schol.	Augmentum Coad.	Augmentum Univ.
Italiae	Romana	135	67	63	265	2	9	7	18
	Brasiliae Centr. (Vicepr.)	48	54	28	130	—	4	1	5
	Neapolitana	112	93	69	274	4	13	2	19
	Sicula	111	69	80	260	—	4	—1	3
	Taurinensis	170	72	51	293	—1	7	—1	5
	Veneta	219	97	141	457	—4	10	9	15
	Socii Assist. Italiae	**795**	**452**	**432**	**1679**	**1**	**47**	**17**	**65**
Germaniae	Austriae	195	69	100	364	—2	—3	—	+5
	Brasiliae Merid. (Vicepr.)	118	44	67	229	—2	8	7	13
	Cechoslovaca (Vicepr.)	99	61	72	232	1	2	1	4
	Germaniae Inferioris	396	235	207	838	2	16	23	41
	Germaniae Superioris	238	139	127	504	—1	2	10	11
	Hungariae	88	85	62	235	1	7	4	12
	Iugoslaviae (Vicepr.)	65	36	57	158	3	2	2	7
	Neerlandica	304	168	124	596	—	1	—1	—
	Poloniae Mai. et Mazov. (1)	87	102	85	274	—2	36	21	55
	Poloniae Minoris (1)	140	129	123	392				
	Socii Assist. Germaniae	**1730**	**1068**	**1024**	**3822**	**—**	**71**	**67**	**138**
Galliae	Campaniae	457	196	117	770	4	3	4	11
	Franciae	426	154	139	719	—1	—8	4	—5
	Lugdunensis	395	161	149	705	—5	13	—2	6
	Tolosana	408	150	114	672	—7	—1	—2	—10
	Socii Assist. Galliae	**1686**	**661**	**519**	**2866**	**9**	**7**	**4**	**2**
Hispaniae	Aragoniae	411	274	334	1019	9	16	2	27
	Argentino-Chilensis	160	142	146	448	—2	11	4	13
	Baetica	168	134	118	420	—1	12	5	16
	Castellana	350	239	280	869	4	15	1	20
	Columbiana	97	118	109	324	3	10	6	19
	Legionensis	259	190	198	647	11	—	8	19
	Lusitana	185	85	119	389	6	2	2	10
	Mexicana	200	69	78	347	6	—2	—1	3
	Toletana	124	125	126	375	—	10	—7	3
	Socii Assist. Hispaniae	**1954**	**1376**	**1508**	**4838**	**36**	**74**	**20**	**130**
Angliae	Angliae	456	229	127	812	—1	2	—1	—
	Belgica	765	464	193	1422	20	1	4	25
	Canadae Inferioris	176	165	106	447	15	—9	—	6
	Canadae Sup. (Vicepr.)	46	94	25	165	4	7	3	14
	Hiberniae	244	185	62	491	8	4	—1	11
	Socii Assist. Angliae	**1687**	**1137**	**513**	**3337**	**46**	**5**	**5**	**56**
Americae	Californiae	251	237	95	583	17	30	—7	40
	Marylandiae-Neo Ebor. (2)	398	420	98	916	—126	—269	—30	—425
	Missouriana	584	495	162	1241	33	7	—7	33
	Neo Aurelianensis	180	110	43	333	5	3	—1	7
	Novae Angliae (2)	152	311	29	492	152	311	29	492
	Socii Assist. Americae	**1565**	**1573**	**427**	**3565**	**81**	**82**	**—16**	**147**
	Universi ineunte a. 1927	**9417**	**6267**	**4423**	**20107**	**155**	**286**	**97**	**538**
	„ „ „ *1926*	9262	5981	4326	19569				
	Augmentum	**155**	**286**	**97**	**538**				

(1) Die 15 aug. 1926 Provincia Poloniae in duas Provincias divisa est.
(2) Die 31 iul. 1926 a Provincia Marylandiae-N. E. seiuncta est Regio Novae Angliae et in Provinciam erecta.

PROSPECTUS MISSIONUM SOCIETATIS IESU
EXEUNTE ANNO 1926

MISSIONES		PROVINCIAE	Sac.	Schol.	Coad.	Univ.
IN EUROPA						
Albania		Veneta	**15**	**5**	**19**	**39**
IN ASIA						
Armenia *(dispersa)*		Lugdunensis	5	—	2	7
Ceylan:	*Gallensis*	Belgica	23	7	6	36
"	*Trincomaliensis*	Campaniae	19	5	5	29
India:	*Bombayensis-Poonensis*	Aragoniae	64	31	26	121
"	*Calcuttensis*	Belgica	181	67	24	272
"	*Goana*	Lusitana	21	4	5	30
"	*Mangalorensis*	Veneta	50	20	18	88
"	*Patnensis*	Missouriana	15	9	1	25
"	*Trichinopolitana*	Tolosana	155	78	39	272
Iaponia:	*Univ. Tokyo, Hiroshima*	Germ. Inf.	21	3	2	26
Iava:	*Bataviae*	Neerlandica	68	30	10	108
Philippinae:	*Mindanao*	Aragoniae	43	—	24	67
Sinae:	*Ankingensis*	Legionensis	22	1	7	30
"	*Hong-kong (inchoata)*	Hiberniae	3	—	—	3
"	*Hwaisensis*	Taurinensis	19	—	3	22
"	*Nankinensis*	Franciae	131	24	35	190
"	*Shiu-hing*	Lusitana	13	1	4	18
"	*Sien-hsien*	Campaniae	69	14	20	103
"	*Wu-hu*	Castellana	28	2	6	36
Syria		Lugdunensis	83	22	43	148
		Universi	**1033**	**318**	**280**	**1631**
IN AFRICA						
Aegyptus		Lugdunensis	33	—	10	43
Africa Merid.: *Zambesiana*:						
"	*Coloniae Capitis*	Angliae	17	—	10	27
"	*Rhodesiae Merid.*	Angliae	45	1	25	71
"	*Rhodesiae Septentr.*	Poloniae Min.	9	—	10	19
Congo:	*Kwangensis*	Belgica	57	17	17	91
Madagascar:	*Fianarantsoa*	Campaniae	42	2	11	55
"	*Maurice et Réunion*	Tolosana	7	—	2	9
"	*Tananarivensis*	Tolosana	45	3	7	55
		Universi	**255**	**23**	**92**	**370**
IN AMERICA						
Inter aborigenes:	*Alaskana*	Californiae	21	—	10	31
"	*Caughnawagensis*	Canad. Inf.	3	1	2	6
"	*Dakotae Meridion.*	Missouriana	12	3	21	36
"	*Indicae Canad.*	Canad. Sup.	17	2	10	29
"	*Montium Saxos.*	Californiae	19	—	10	29
"	*Tarahumarensis (disp.)*	Mexicana	10	1	10	21
Guiana Britann.		Angliae	18	—	—	18
Honduras Britann.:	*Belize*	Missouriana	23	6	4	33
Iamaica		Maryl.-Neo E.	20	3	2	25
		Universi	**143**	**16**	**69**	**228**
IN OCEANIA						
Carolinae, Marianae et Marshall		Baetica	**17**	—	**20**	**37**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1927			**1463**	**362**	**480**	**2305**
Universi in Missionibus versantes ineunte anno 1926			1443	340	480	2263
		Augmentum	**20**	**22**	—	**42**

NUMERUS CONGREGATIONUM B. M. V.

PRIMAE PRIMARIAE AGGREGATARUM ANNO 1926

	Sacerdotes et Clerici	Viri	Iuvenes	Iuvenes e viri	Pueri	Studiosi et discipuli	Mulieres	Mulieres et virgines	Virgines	Puellae	Studiosae et discipulae	Utriusque sexus	Summa totalis
EUROPA													
Anglia		1	2		1		13			2		9	28
Austria		1	3		6	1	3		14	4		1	33
Belgium			2						2	11			15
Cechoslovachia		3	1				1	4	7	4			20
Gallia			1		1			2	15	14			33
Germania		5	42	1		3	7		107	13		1	179
Helvetia	1		4						14	1		1	21
Hibernia	2					4	3	7	1	1			23
Hispania		1	9		5		1		12	8			36
Hungaria		2	3		1	8	5		1	14			34
Italia	1	1	13	1	2	1	7	3	7	7	2	1	46
Iugoslavia		4	5			3	10		10	9	4		45
Lusitania		3	5		1		8		3		1		21
Neerlandia		2	11		2		3	1	1	11			31
Polonia		2	2			21	9	1	11	10	24	4	84
Rumenia			1				1		1	1			4
Varia loca			1		1				2	1			5
AFRICA													
Aegyptus			1										1
Madagascar							3			2			5
Varia loca								1				1	2
AMERICA													
Aequator							1						1
Argent. & Chilum.	1		12	7	3		3		11	7		1	45
Brasilia			3		2	1		1	4	1			12
Canada				1					17	5			23
Columbia		1			3	1			1	2			8
Mexicum			6		1		1		2	2		1	13
Status Foederat.		2	4		3		21	15	98	11		13	167
Varia loca									2	2			4
ASIA													
India		1	2	1	3	2	2		1	2		3	17
Iava		1							1	1			3
Syria					1			1	1				3
Varia loca					1								1
AUSTRALIA		1		1	2		1			6			11
Summa	5	31	133	12	39	45	103	36	346	157	31	36	974

RATIONES DE « RHETORIBUS »
NOSTRORUM COLLEGIORUM IN BELGIO
QUI
PROXIMO QUINQUENNIO (1922-26)
SE DOMINO ADDIXERUNT

Annus	Auditores Rhetor. ineunte anno	Ingressi Seminar.	Ingressi Societ.	Ingressi Ord. alios	Numerantur Deo dicati	Rationes pro 100 Rhetor.
1921-22	419	32	38	13	83	19,8
1922-23	388	26	41	13	80	20,6
1923-24	416	29	35	20	84	20,2
1924-25	415	26	39	22	87	21
1925-26	404	26	32	22	80	19,8
	2042	139	185	90	414	20,3

CATALOGUS

DEFUNCTORUM IN SOCIETATE IESU

A DIE 1 OCTOBRIS 1925 AD 30 SEPTEMBRIS 1926

1. P. Petrus Hipp, nat. Gensing prope Bingen (Germania) 11 dec. 1854, ing. 4feb. 1877, Prof. 4 vot. 8 sept. 1894, ob. San Francisco (California) 2 oct. 1925; Prov. Belgicae.

2. P. Franciscus Sánchez Rosique, nat. La Palma (Murcia) 15 aug. 1867, ing. 26 mar. 1887, Coad. spir. 2 feb. 1905, ob. Sevilla 2 oct. 1925; Prov. Toletanae.

3. P. Franciscus Cuadras, nat. Vich (Barcelona) 2 apr. 1850, ing. 31 ian. 1880, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. Palma (Baleares) 3 oct. 1925; Prov. Aragoniae.

4. C. Hubertus Flock, nat. Efgen (Rhenania) 21 oct. 1850, ing. 30 sept. 1880, Coad. temp. 2 feb. 1891, ob. Parecy-Novo (Brasilia) 3 oct. 1925; Prov. Germaniae Superioris.

5. P. Henricus Haduch, nat. Jacmierz (Polonia Minor.) 14 iul. 1870, ing. 21 aug. 1886, Prof. 4 vot. 2 feb. 1904, ob. Nowy Sacz 5 oct. 1925; Prov, Poloniae.

6. P. Josephus Bardoux, nat. Dôle (Jura) 23 maii 1864, ing. 26 feb. 1889, Coad. spir. 15 aug. 1905, ob. Concise apud Thonon (Hte-Savoie) 6 oct. 1925; Prov. Lugdunensis.

7. S. Andreas C. Roche, nat. Sault Ste Marie in Michigan 17 ian. 1905, ing. 4 feb. 1925, Nov. schol., ob. Milford in Ohio 6 oct. 1925; Prov. Missourianae.

8. C. Felix Pulgar, nat. Burgos 22 febr. 1878, ing. 30 iul. 1895, Coad. temp. form. 15 aug. 1908, ob. Valladolid 7 oct. 1925; Prov. Legionensis.

9. P. Parker Lander, nat. Cork (Hibernia) 13 apr. 1846, ing. 28 feb. 1865, Prof. 4 vot. 2 feb. 1884, ob. Stonyhurst (Lancashire) 10 oct. 1925; Prov. Angliae.

10. P. Paulus Geny, nat. Nancy (Meurthe-et-Moselle) 12 nov. 1871, ing. 18 oct. 1891, Prof. 4 vot. 2 feb. 1907, ob. Roma 12 oct. 1925; Prov. Campaniae.

11. P. Iustinus Maria Lombardi, nat. Roma 17 sept. 1862, ing. 2 maii 1879, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. Rio de Janeiro (Brasilia) 14 oct. 1925; Prov. Romanae.

12. C. Emmanuel de la Cruz, nat. Fernan-Nuñez (Córdoba) 4 feb. 1839, ing. 23 sept. 1905, Coad. temp. form. 2 feb. 1916, ob. Sevilla 15 oct. 1925; Prov. Baeticae.

13. P. Fridericus O'Hare, nat. Market Rasen (Lincolnshire) 31 mart. 1850, ing. 23 sept. 1866, Coad. spir. 2 feb. 1885, ob. Boscombe (Hampshire) 16 oct. 1925; Prov. Angliae.

14. P. Hermannus J. Pickert, nat. Aurora in Illinois 31 mart. 1861, ing. 15

iul. 1889, Coad. spir. 15 aug. 1904, ob. St. Louis in Missouri 17 oct. 1925; Prov. Missourianae.

15. C. Georgius Bender, nat. Liverpool (Anglia) 12 dec. 1842, ing. 11 dec. 1866, Coad. temp. form. 15 aug. 1877, ob. St. Marys in Kansas 19 oct. 1925; Prov. Missourianae.

16. Iosephus Muzac, nat. Ussac (Corrèze) 25 oct. 1846, ing. 15 apr. 1868, Prof. 4 vot. 15 aug. 1885, ob. Toulouse 20 oct. 1925; Prov. Tolosanae.

17. C. Iosephus Rocha, nat. Moura-morta (Tras-os-montes) 2 iun. 1881, ing. 18 mart. 1910, Coad. temp. form. 15 aug. 1920, ob. La Guardia (Hispania) 20 oct. 1925; Prov. Lusitanae.

18. C. Hieronymus Mandry, nat. Epfig (Alsatia) 22 sept. 1856, ing. 30 sept. 1881, Coad. temp. form. 2 feb. 1892, ob. 's Heerenberg 21 oct. 1925; Prov. Germaniae Inferioris.

19. P. Carolus Kroner, nat. Oberfahlheim (Bavaria) 28 oct. 1854, ing. 12 oct. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Kleinzimmern (Hassia) 23 oct. 1925; Prov. Germaniae Superioris.

20. P. Georgius Rittmeyer, nat. Nesselroeden (Hannover, Germania) 13 apr. 1859, ing. 3 sept. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. Spring Hill in Alabama 25 oct. 1925; Prov. Neo Aurelianensis.

21. P. Augustus Húpfeld, nat. Cassel (Hassia, Germania) 27 aug. 1856, ing. 1 mart. 1877, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Barcelona (Hispania) 26 oct. 1925; Prov. Argentino-Chilensis.

22. C. Leo Julián, nat. Barcelona 4 oct. 1893, ing. 1 feb. 1923, Coad. temp. approb., ob. Roquetas (Tarragona) 27 oct. 1925; Prov. Aragoniae.

23. P. Iacobus O'Dwyer, nat. Barronstown (Tipperary) 24 sept. 1860, ing. 1 oct. 1880, Prof. 4 vot. 2 feb. 1899, ob. Kew in Australia, 29 oct. 1925; Prov. Hiberniae.

24. C. Augustus F. Viot, nat. Dayton in Ohio 19 ian. 1857, ing. 19 mart. 1901, Coad. temp. form. 15 aug. 1911, ob. Toledo in Ohio 31 oct. 1925; Prov. Missourianae.

25. P. Bernardus Killion, nat. Chatham (Kent) 31 mart. 1861, ing. 7 sept. 1877, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Barbados (America) 9 nov. 1925; Prov. Angliae.

26. C. Iosephus Zuralst, nat. Albersloh (Westfalia) 27 iun. 1873, ing. 30 sept. 1901, Coad. temp. form. 2 feb. 1912, ob. Valkenburg (Hollandia) 9 nov. 1925; Prov. Germaniae Inferioris.

27. C. David Lupo, nat. Grottaglie (Taranto) 15 oct. 1878, ing. 24 maii 1922, Coad. temp. approb., ob. Napoli 11 nov. 1925; Prov. Neapolitanae.

28. S. Carolus Segovia, nat. Madrid 11 maii 1896, ing. 24 sept. 1916, Schol. approb., ob. Aranjuez (Madrid) 14 nov. 1925; Prov. Toletanae.

29. P. Teodorus van Swieten, nat. Amsterdam 23 iun. 1854, ing. 26 sept. 1874, Prof. 4 vot. 15 sept. 1892, ob. Semarang (Iava) 17 nov. 1925; Prov. Neerlandicae.

30. P. Eugenius Goslèse, nat. Carnac (Morbihan) 28 sept. 1854, ing. 23 aug. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Paris 18 nov. 1925; Prov. Franciae.

31. S. Claudius Lauras, nat. Paris 14 feb. 1908, ing. 4 nov. 1925, Nov. schol., ob. Beaumont (Seine-et-Oise) 19 nov. 1925; Prov. Franciae.

32. P. Aloisius Portaluri, nat. Maglie (Lecce) 7 feb. 1841, ing. 6 mart. 1862, Coad. spir. 2 feb. 1878, ob. Chieri (Torino) 20 nov. 1925; Prov. Taurinensis.

33. P. Aemilius Trouiller, nat. Alixan (Drôme) 2 apr. 1845, ing. 13 oct. 1865, Coad. spir. 15 aug. 1882, ob. Paray-le-Monial (Saône-et-Loire) 20 nov. 1925; Prov. Lugdunensis.

34. P. Angelus Calonge, nat. Olvega (Soria) 20 iul. 1878, ing. 5 mart. 1906, Coad. spir. 15 aug. 1921, ob. Alicante 20 nov. 1925; Prov. Aragoniae.

35. C. Emmanuel Hernández, nat. Benferri (Alicante) 21 sept. 1872, ing. 27 sept. 1896, Coad. temp. form. 2 feb. 1907, ob. Barcelona 20 nov. 1925; Prov. Aragoniae.

36. P. Aloisius van der Velden, nat. Eindhoven (Nord Brabant) 27 nov. 1848, ing. 26 sept. 1870, Coad. spir. 2 feb. 1884, ob. Portland (Oregon) 21 nov. 1925; Prov. Neerlandicae.

37. C. Marcellinus Larraondo, nat. Bilbao (Vizcaya) 26 apr. 1868, ing. 14 aug. 1889, Coad. temp. form. 15 aug. 1899, ob. Villafranca de los Barros (Badajoz) 25 nov. 1925; Prov. Toletanae.

38. P. Aemilius Gómez, nat. Briviesca (Burgos) 11 iul. 1858, ing. 21 ian. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Carrión (Palencia) 26 nov. 1925; Prov. Legionensis.

39. C. Ioannes Maria Raffin, nat. Fourneaux (Loire) 8 maii 1860, ing. 1 sept. 1883, Coad. temp. form. 3 feb. 1896, ob. Lyon 26 nov. 1925; Prov. Lugdunensis.

40. P. Henricus I. Shandelle, nat. Ruthen (Westphalia, Germania) 21 sept. 1848, ing. 14 aug. 1865, Coad. spir. 15 aug. 1888, ob. Georgetown in District of Columbia 27 nov. 1925; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

41. P. Michael Aguilar, nat. Granadella (Lérida) 20 apr. 1858, ing. 20 feb. 1892, Coad. spir. 15 aug. 1902, ob. Barcelona 27 nov. 1925; Prov. Aragoniae.

42. P. Caietanus Vivarelli, nat. Castel di Casio (Bologna) 29 iul. 1859, ing. 18 nov. 1882, Prof. 4 vot. 2 feb. 1900, ob. Anagni (Roma) 28 nov. 1925; Prov. Romanae.

43. P. Bonaventura Bas, nat. Igualada (Barcelona, Hispania) 26 iun. 1880, ing. 30 apr. 1898, Coad. spir. 2 feb. 1916, ob. Santiago de Chile 29 nov. 1925; Prov. Argentino-Chilensis.

44. C. Bernardus Wübbelt, nat. Heiden (Westfalia) 14 mart. 1840, ing. 1 oct. 1877, Coad. temp. form. 2 feb. 1888, ob. Valkenburg (Hollandia) 29 nov. 1925; Prov. Germaniae Inferioris.

45. P. Iosephus Murphy, nat. Liverpool (Lancashire) 16 maii 1869, ing. 12 sept. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1907, ob. Liverpool, 30 nov. 1925; Prov. Angliae.

46. P. Angelus Barreira, nat. Basenas (Lugo) 2 mart. 1875, ing. 7 sept. 1909, Coad. spir. 15 aug. 1920, ob. Pasto (Colombia) 30 nov. 1925; Prov. Legionensis.

47. P. Petrus Steins Bisschop, nat. Amsterdam 24 dec. 1837, ing. 5 oct. 1856, Prof. 4 vot. 2 feb. 1874, ob. Maastricht 1 dec. 1925; Prov. Neerlandicae.

48. P. Kulcsár Stephanus, nat. Nagyszöllös (Ugocsa), 15 nov. 1865, ing.

24 aug. 1883, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Kalocsa 3 dec. 1925; Prov. Hungariae.

49. C. Ioannes Baptista Sazarin, nat. Orgnac (Corrèze) 7 sept. 1876, ing. 16 iun. 1895, Coad. temp. form. 2 feb. 1907, ob. Tananarive (Madagascar) 3 dec. 1925; Prov. Tolosanae.

50. P. Leopoldus Delaunoit, nat. Liége 11 sept. 1865, ing. 26 sept. 1882, Coad. spir. 15 aug. 1901, ob. Calcutta (India) 4dec. 1925; Prov. Belgicae.

51. C. Eduardus Blim, nat. San Francisco 11 dec. 1898, ing. 14 sept. 1917, Coad. temp. approb., ob. Los Gatos (California) 4 dec. 1925; Prov. Californiae.

52. P. Paulus Aloisius Sinibaldi, nat. Gavignano (Roma) 2 dec. 1891, ing. 7 sept. 1910, Schol. approb., ob. Roma 5 dec. 1925; Prov. Romanae.

53. P. Iosephus Spangemacher, nat. Borken, (Westfalia, Germania) 21 iun. 1851, ing. 14 oct. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1882, ob. San Francisco in California 7 dec. 1925; Prov. Missourianae.

54. P. Simon Gorrichátegui, nat. Berriz (Vizcaya, Hispania) 28 oct. 1867, ing. 13 aug. 1887, Coad. spir. 2 feb. 1903, ob. Montevideo (Uruguay) 7 dec. 1925; Prov. Argentino-Chilensis.

55. C. Philippus Zavaleta, nat. Jalapa (Veracruz) 23 aug. 1847, ing. 21 feb. 1891, Coad. temp. form. 15 aug. 1906, ob. Ysleta Texas (U. S. A.) 7 dec. 1925; Prov. Mexicanae.

56. C. Christianus Janssen, nat. Sittard (Limburg., Neerlandia) 2 feb. 1853, ing. 18 oct. 1879, Coad. temp. form. 2 feb. 1890, ob. Anvers 7 dec. 1925; Prov. Belgicae.

57. P. Aloisius Casas, nat. Palma (Baleares) 23 maii 1862, ing. 4 maii 1880, Coad. spir. 2 feb. 1892, ob. Palma (Baleares) 8 dec. 1925; Prov. Aragoniae.

58. C. Vincentius Sánchez, nat. Trébago (Soria) 19 apr. 1869, ing. 12 nov. 1886, Coad. temp. form. 15 aug. 1899, ob. Barcelona 9 dec. 1925; Prov. Aragoniae.

59. C. Iosephus Drobny, nat. Moderdorf (Slovacia) 24 feb. 1869, ing. 14 iul. 1897, Coad. temp. form. 2 feb. 1909, ob. Bratislava (Slovacia) 10 dec. 1925; Vicepr. Cechoslovacae.

60. P. Iosephus Harter, nat. Windschläg (Baden) 16 apr. 1863, ing. 30 sept. 1882, Coad. spir. 2 feb. 1896, ob. Valparaíso (Chile) 11 dec. 1925; Prov. Germaniae Superioris.

61. C. Armandus Schuster, nat. Ober-Mois (Silesia) 21 ian. 1854, ing. 31 iul. 1880, Coad. temp. form. 15 aug. 1893, ob. Beyrouth (Syria) 11 dec. 1925; Prov. Lugdunensis.

62. P. Albertus Mothes, nat. Tarbielles (Landes) 28 ian. 1858, ing. 29 oct. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Toulouse 12 dec. 1925; Prov. Tolosanae.

63. C. Ioannes Slie, nat. Rotterdam 22 apr. 1840, ing. 6 ian. 1864, Coad. temp. form. 15 aug. 1874, ob. Mariëndaal 12 dec. 1925; Prov. Neerlandicae.

64. C. Bartholomaeus Busquets, nat. Selva (Baleares) 2 maii 1845, ing. 23 sept. 1866, Coad. temp. form. 15 aug. 1877, ob. Barcelona 13 dec. 1925; Prov. Aragoniae.

65. P. Thomas I. Campbell, nat. New York 29 apr. 1848, ing. 13 iul. 1867, Prof. 4 vot. 15 aug. 1886, ob. Monroe (New York) 14 dec. 1925; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

66. C. Ioannes A. Spengel, nat. Highland in Illinois 24 oct. 1866, ing. 14 mart. 1891, Coad. temp. form. 15 aug. 1901, ob. Cincinnati in Ohio 18 dec. 1925; Prov. Missourianae.

67. P. Petrus Bouvier, nat. Chantenay (Loire Inférieure) 27 nov. 1848, ing. 27 sept. 1870, Prof. 4 vot. 2 feb. 1888, ob. Paris 19 dec. 1925; Prov. Franciae.

68. C. Aemilius Guerrero, nat. Badajoz 20 aug. 1847, ing. 30 maii 1868, Coad. temp. form. 15 aug. 1878, ob. Oña (Burgos) 19 dec. 1925; Prov. Toletanae.

69. P. Franciscus Keating, nat. Dundee (Forfarshire, Scotia) 22 iul. 1860, ing. 7 sept. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1897, ob. Clitheroe (Lancashire) 20 dec. 1925; Prov. Angliae.

70. P. Iosephus Pires, nat. Penha-Garcia (Beira Baixa) 20 aug. 1848, ing. 17 apr. 1886, Prof. 3 vot. 15 aug. 1896, ob. Cochim (India) 21 dec. 1926; Prov. Lusitanae.

71. P. Iosephus Delarue, nat. Pontoise (Seine-et-Oise) 22 aug. 1853, ing. 26 nov. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Paris 22 dec. 1925; Prov. Franciae.

72. P. Ioannes Baptista Bertels, nat. Anvers 28 sept. 1873, ing. 9 iun. 1893, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Calcutta (India) 22 dec. 1925; Prov. Belgicae.

73. P. Lambertus Heymeijer, nat. Amsterdam 17 nov. 1836, ing. 26 sept. 1867, Prof. 4 vot. 2 feb. 1885, ob. 's-Gravenhage 29 dec. 1925; Prov. Neerlandicae.

74. P. Armandus de Villeneuve, nat. Lyon 2 feb. 1874, ing. 7 sept. 1891, Coad. spir. 2 feb. 1909, ob. Aïn-Ebel (Syria) 29 dec. 1925; Prov. Lugdunensis.

75. P. Rodulfus Isolani, nat. Bologna 27 maii 1843, ing. 19 sept. 1859, Coad. spir. 2 feb. 1876, ob. Roma 30 dec. 1925; Prov. Romanae.

76. C. Daniel Schramp, nat. Stompwijk 25 oct. 1860, ing. 26 sept. 1884, Coad. temp. form. 2 feb. 1895, ob. Mariëndaal 3 ian. 1926;. Prov. Neerlandicae.

77. C. Casimirus Longhi, nat. Valgreghentino (Como) 21 oct. 1893, ing. 8 sept. 1921, Coad. temp. approb., ob. Venezia 5 ian. 1926; Prov. Venetae.

78. C. Antonius Johannes, nat. Goch in Germania 25 sept. 1858, ing. 29 sept. 1879, Coad. temp. form. 2 feb. 1891, ob. Cleveland in Ohio 8 ian. 1926; Prov. Missourianae.

79. P. Marianus Amato, nat. Alcamo (Trapani) 24 iul. 1893, ing. 15 oct. 1907, Schol. approb., ob. Sanremo (Imperia) 6 ian. 1926; Prov. Siculae.

80. P. Ioannes Lynch, nat. Cheltenham (Gloucestershire) 17 iun. 1848, ing. 1 feb. 1871, Coad. spir. 2 feb. 1886, ob. Bournemouth (Hampshire) 9 ian. 1926; Prov. Angliae.

81. P. Franciscus van Lith, nat. Oirschot 27 maii 1863, ing. 26 sept. 1881, Prof. 4 vot. 25 mart. 1899, ob. Semarang (Java) 9 ian. 1926; Prov. Neerlandicae.

82. C. Augustus Cattoir, nat. Sleydinge (Flandr. orient.) 15 dec. 1846, ing. 10 maii 1875, Coad. temp. form. 15 aug. 1885, ob. Liége 12 ian. 1926; Prov. Belgicae.

83. C. Andreas Máiztegui, nat. Placencia (Guipúzcoa) 24 dec. 1837, ing. 7 sept. 1862, Coad. temp. form. 25 mart. 1873, ob. Cienfuegos (Cuba) 13 ian. 1926; Prov. Castellanae.

84. P. Franciscus Xav. Brors, nat. Huckingen (Rhenania) 12 sept. 1861, ing. 9 oct. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Dortmund 14 ian. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

85. P. Ioannes B. Masutti, nat. S. Lorenzo (Udine) 27 ian. 1847, ing. 31 dec. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1901, ob. Modena 15 ian. 1926; Prov. Venetae.

86. P. Henricus Geller, nat. Aachen 21 feb. 1875, ing. 2 apr. 1894, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Aarhus (Dania) 15 ian. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

87. C. Gustavus Dreher, nat. Reutlingendorf prope Riedlingen (Suevia) 27 iul. 1865, ing. 30 sept. 1894, ob. Luxemburg 16 ian. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

88. C. Iosephus Rathmeier, nat. Schwendi (Württemberg, Germania) 7 ian. 1859, ing. 30 sept. 1886, Coad. temp. form. 2 feb. 1897, ob São Leopoldo 16 ian. 1926; Viceprov. Brasiliae Meridionalis.

89. P. Theophilus De Beurme, nat. St. (Denis Courtrai, in Belgio) 21 apr. 1855, ing. 12 dec. 1875, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Spring Hill in Alabama, 18 ian. 1926; Prov. Neo Aurelianensis.

90. C. Iosephus Meier, nat. Port Hudson in Missouri 28 maii 1854, ing. 2 iul. 1878, Coad. temp. form. 15 aug. 1888, ob. Florissant in Missouri 19 ian. 1926; Prov. Missourianae.

91. P. Augustus Tabarly, nat. Saint-Antonin (Tarn-et-Garonne) 8 mart. 1845, ing. 6 nov. 1894, Prof. 4 vot. 2 feb. 1908, ob. Toulouse 21 ian. 1926; Prov. Tolosanae.

92. P. Germanus Serrurier, nat. Belfort (Lot) 17 apr. 1855, ing. 27 iul. 1877, Schol. approb., ob. Leyme (Lot) 21 ian. 1926; Prov. Tolosanae.

93. C. Martinus Hammer, nat. Scheveningen 22 sept. 1853, ing. 7 ian. 1874, Coad. temp. form. 2 feb. 1884, ob. México 21 ian. 1926; Prov. Neerlandicae.

94. RR. DD. Andreas Machado, Episcopus Guayaquilensis, nat. Cuenca (Ecuador) 16 aug. 1850, ing. 19 iul. 1866, Prof. 4 vot. 13 apr. 1884, ob. Guayaquil (Ecuador) 22 ian. 1926; Prov. Baeticae.

95. P. Iacobus Santiago, nat. Pasalai (India) 5 ian. 1848, ing. 19 ian. 1869, Coad. spir. 16 ian. 1887, ob. Trichinopoly (India) 22 ian. 1926; Prov. Tolosanae.

96. P. Paulus Graterolle, nat. Bordeaux 17 sept. 1847, ing. 25 oct. 1866, Coad. spir. 2 feb. 1884, ob. Bordeaux 24 ian. 1926; Prov. Tolosanae.

97. P. Gabriel Rossi, nat. Napoli 9 aug. 1839, ing. 9 iul. 1859, Coad. spir. 19 feb. 1874, ob. Shanghai (Chine) 26 ian. 1926; Prov. Neapolitanae.

98. P. Eugenius Gasnier, nat. Craon (Mayenne) 17 iun. 1844, ing. 15 nov. 1863, Coad. spir. 2 feb. 1883, ob. Shanghai (Chine) 27 ian. 1926; Prov. Franciae.

99. C. Orestes Pinamonti, nat. Tueno (Tyrol in Austria) 22 iun. 1861, ing. 12 aug. 1891, Coad. temp. form. 15 aug. 1901, ob. Woodstock in Maryland 28 ian. 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

100. P. Aloisius Denoyel, nat. Paris 13 iun. 1847, ing. 20 sept. 1875, Coad. spir. 15 aug. 1882, ob. St. Egrève (Isère) 29 ian. 1926; Prov. Lugdunensis.

101. P. Iustinus Tressens, nat. Caylus (Tarn-et-Garonne) 2 iun. 1855, ing. 4 oct. 1875, Coad. spir. 2 feb. 1893, ob. Béziers 30 ian. 1926; Prov. Tolosanae.

102. P. Thomas Gorman, nat. Hastings (Ont.) 10 dec. 1861, ing. 31 dec. 1886, Coad. spir. 15 aug. 1901, ob. Guelp 31 ian. 1926; Vicepr. Canadae Superioris.

103. P. Clemens Loenartz, nat. Koblenz 11 nov. 1876, ing. 30 sept. 1901, Prof. 4 vot. 2 feb. 1915, ob. Koblenz 31 ian. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

104. P. Henricus Simón, nat. Issé (Gallia) 31 mart. 1864, ing. 28 sept. 1886, Coad. spir. form. 2 feb. 1898, ob. Oya (Pontevedra, Hispania) 3 feb. 1926; Prov. Lusitanae.

105. C. Iosephus Kriebel (Kreblowski) nat. in Gross-Hoschitz (Ratibor, Germania) 8 mart. 1867, ing. 8 oct. 1892, Coad. temp. form. 15 aug. 1903, ob. Wien 3 feb. 1926; Prov. Austriae.

106. P. Natalis Mouterde, nat. Lyon 26 aug. 1884, ing. 11 nov. 1901, Prof. 4 vot. 2 feb. 1919, ob. Lyon 4 feb. 1926; Prov. Lugdunensis.

107. P. Bernardus de Stolberg, nat. Schönwitz (Silesia) 26 sept. 1838, ing. 30 sept. 1875, Prof. 4 vot. 2 feb. 1889, ob. 's Heerenberg 5 feb. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

108. P. Gerardus Swart, nat. Wildervank 22 ian. 1843, ing. 26 sept. 1864, Prof. 4 vot. 2 feb. 1882, ob. Venlo 6 feb. 1926; Prov. Neerlandicae.

109. P. Stephanus Caracciolan, nat. Tokat (Asia Minor) 15 iul. 1847, ing. 27 sept. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Ghazir (Syria) 7 feb. 1926; Prov. Lugdunensis.

110. C. Arthurus Blas, nat. Vandegies au Bois (Nord) 28 mart. 1849, ing. 15 apr. 1874, Coad. temp. form. 15 aug. 1884, ob. Lille (Nord) 13 feb. 1926; Prov. Campaniae.

111. P. Franciscus Xav. Haan, nat. Köln 11 iul. 1853, ing. 1 oct. 1872, Coad. spir. 2 feb. 1890, obiit Bombay 14 feb. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

112. P. Ioannes Rerecich, nat. Lussingrande (Dalmatia) 4 aug. 1860, ing. 13 sept. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Brescia 16 feb. 1926; Prov. Venetae.

113. C. Constantinus Zakowski, nat. Opole (Silesia) 8 apr. 1839 ing. 28 oct. 1859, Coad. temp. form. 2 feb. 1870, ob. Trnava (Slovacia) 16 feb. 1926; Vicepr. Cechoslovacae.

114. P. Franciscus Xav. Labiano, nat. Izco (Navarra) 3 dec. 1870, ing. 30 iul. 1888, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. México 17 feb. 1926; Prov. Castellanae.

115. P. Iacobus A. Gillespie, nat. Boston in Massachusetts 18 maii 1860, ing. 14 aug. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1899, ob. Boston in Massachusetts 19 feb. 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

116. C. Laurentius Zufiaur, nat. Araya (Alava) 10 aug. 1848, ing. 8 sept. 1877, Coad. temp. form. 2 feb. 1893, ob. Málaga 19 feb. 1926; Prov. Castellanae.

117. C. Emmanuel Merino, nat. Los Santos (Badajoz) 14 feb. 1847, ing. 22 nov. 1875, Coad. temp. form. 2 feb. 1887, ob. Villafranca de los Barros (Badajoz) 20 feb. 1926; Prov. Toletanae.

118. C. Ioannes Playá, nat. Manresa (Barcelona) 27 oct. 1854, ing 30

iul. 1874, Coad. temp. form. 15 aug. 1884, ob. Tortosa (Tarragona) 21 feb. 1926; Prov. Aragoniae.

119. C. Abrahamus Becceril, nat. Toluca (México) 13 sept. 1894, ing. 1 feb. 1923, Coad. temp. approb., ob. Santa Barbara (California) 21 feb. 1926; Prov. Californiae.

120. P. Henricus Watrigant, nat. Lille (Nord) 20 feb. 1845, ing. 20 oct. 1868, Coad. spir. 2 feb. 1882, ob. Enghien (Belgique) 23 feb. 1926; Prov. Campaniae.

121. P. Eugenius Notermans, nat. Gulpen (Limburg) 7 iul. 1862, ing. 26 sept. 1882, Prof. 4 vot. 2 feb. 1900, ob. Venlo 23 feb. 1926; Prov. Neerlandicae.

122. P. Laurus Darner, nat. Castellón de Ampurias (Gerona, Hispania) 16 apr. 1861, ing. 22 apr. 1875, Prof. 4 vot. 15 aug. 1894, ob. Córdoba 24 feb. 1926; Prov. Argentino-Chilensis.

123. P. Ioannes Duffo, nat. Galan (Hautes Pyr.) 5 dec. 1873, ing. 2 dec. 1891, Coad. spir. 19 mart. 1904, ob. Shembaganur (India) 24 feb. 1926; Prov. Tolosanae.

124. P. Petrus de Maistre, nat. Roma 20 oct. 1864, ing. 12 nov. 1883, Coad. spir. 15 aug. 1899, ob. Mont-Roland (prope Dôle, Jura) 26 feb. 1926; Prov. Lugdunensis.

125. P. Ioannes Frosio Roncalli, nat. S. Omobono (Bergamo) 19 iul. 1845, ing. 19 dec. 1867, Coad. spir. 13 nov. 1879, ob. Padova 27 febr. 1926; Prov. Venetae.

126. C. Ioannes Watson, nat. Birmingham (Warwickshire) 28 maii 1842, ing. 7 sept. 1879, Coad. temp. form. 2 feb. 1892, ob. Stonyhurst (Lancashire) 27 feb. 1926; Prov. Angliae.

127. C. Priscus Pepe, nat. Nocera Inferiore (Salerno) 22 iun. 1870, ing. 15 maii 1919, Coad. temp. appr., ob. Capua (Caserta) 28 feb. 1926; Prov. Neapolitanae.

128. P. Ludovicus Tomcsányi, nat. Pusztakovácsi (Somogy) 13 dec. 1846, ing. 14 sept. 1863, Coad. spir. 2 feb. 1883, ob. Budapest 2 mart. 1926; Prov. Hungariae.

129. P. Ioannes Wright, nat. Liscard (Cheshire) 1 apr. 1864, ing. 7 sept. 1880, Prof. 4 vot. 2 feb. 1900, ob. Forest Row (Sussex) 2 mart. 1926; Prov. Angliae.

130. P. Hippolytus Martin, n. Palhères (Lozère) 9 maii 1839, ing. 17 aug. 1857, Prof. 4 vot. 2 feb. 1876, ob. Toulouse 4 mart. 1926; Prov. Tolosanae.

131. P. Petrus Munárriz, nat. Salinas de Oro (Navarra) 19 oct. 1847, ing. 17 oct. 1881, Prof. 4 vot. 2 feb. 1897, ob. Loyola (Azpeitia, Guipúzcoa) 4 mart. 1926; Prov. Castellanae.

132. P. Michael Passignat, nat. Verneuil (Allier) 10 oct. 1857, ing. 6 oct. 1894, Coad. spir. 2 feb. 1905, ob. Marseille 5 mart. 1926; Prov. Lugdunensis.

133. C. Ioannes-Baptista Lejeune, nat. Saint Paul (La Réunion) 15 feb. 1851, ing. 31 iul. 1881, Coad. temp. form. 29 iun. 1893, ob. Tamatave (Madagascar) 6 mart. 1926; Prov. Tolosanae.

134. S. Aloisius Pladelasala, nat. Granollers de la Plana (Barcelona) 22 maii 1891, ing. 16 oct. 1921, Schol. approb., ob. Barcelona 8 mart. 1926; Prov. Aragoniae.

135. C. Franciscus Vido, nat. Tine (Graecia) 30 iun. 1855, ing. 30 apr. 1882, Coad. temp. form. 15 aug.

1895, ob. Bagheria (Palermo) 8 mart. 1926; Prov. Siculae.

136. P. Ioannes Ev. Melian, nat. Santa Cruz de Tenerife (Canarias) 11 iun. 1852, ing. 2 apr. 1882, Coad. spir. 15 aug. 1892, ob. Las Palmas (Canarias) 9 mar. 1926; Prov. Baeticae.

137. P. Aloisius Briffa, nat. Senglea (Malta) 9 ian. 1873, ing. 7 dec. 1891, Prof. 4 vot. 2 feb. 1912, ob. Floriana (Malta) 9 mart. 1926; Prov. Siculae.

138. C. Stephanus Szkrak, nat. Korompa (Szepes), 18 aug. 1857, ing. 13 oct. 1891, Coad. temp. form. 15 aug. 1902, ob. Érd 10 mart. 1926; Prov. Hungariae.

139. P. Franciscus Tournebize, nat. La Chapelle-Agnon (Puy-de-Dôme) 27 mart. 1856, ing. 14 oct. 1875, Prof. 4 vot. 2 feb. 1894, ob. Beyrouth (Syria) 11 mart. 1926; Prov. Lugdunensis.

140. C. Patritius Donlon, nat. Ennis (Co. Clare Ibernia) 7 mar. 1847, ing. 8 dec. 1881, Coad. temp. form. 2 feb. 1894, ob. New York 11 mar. 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

141. P. Petrus Pasino, nat. Alessandria (Italia) 21 maii 1868, ing. 6 iun. 1890, Coad. spir. 4 apr. 1904, ob. Spokane (Washington) 14 mart. 1926; Prov. Californiae.

142. C. Richardus Landa, nat. Vitoria (Hispania) 16 apr. 1890, ing. 29 oct. 1906, Coad. temp. form. 15 aug. 1920, ob. Tananarive (Madagascar) 15 mart. 1926; Prov. Tolosanae.

143. C. Iosephus Bas, nat. Jávea (Alicante) 7 aug. 1851, ing. 9 maii 1877, Coad. temp. form. 15 aug. 1887, ob. Valencia 16 mart. 1926; Prov. Aragoniae.

144. P. Alexander Doran, nat. Barrackpore (prov. Bengal., Ind. angl. 27 nov. 1874, ing. 5 mart. 1897, Coad. spir. 2 feb. 1912, ob. Rengarih (India) 17 mart. 1926; Prov. Belgicae.

145. P. Ioannes Arulanandam (senior), nat. Vallam (India) 1 mart. 1851, ing. 12 ian. 1873, Coad. spir. 10 iun. 1888, ob. Palamcottah (India) 17 mart. 1926; Prov. Tolosanae.

146. P. Michael I. O'Shea, nat. Donoughmore (Co. Cork in Hibernia) 29 maii 1870, ing. 13 aug. 1891; Coad. spir. 2 feb. 1909, ob. Baltimore in Maryland 22 mar. 1926; Prov. Marylandiae Neo-Eboracensis.

147. P. Florentius Merckx, nat. Kesselloo (Brabant.) 30 oct. 1884, ing. 23 sept. 1902, Coad. spir. 2 feb. 1923, ob. Calcutta (India) 22 mart. 1926; Prov. Belgicae.

148. C. Iosephus Quaranta, nat. Grottaglie (Italia) 19 mart. 1832, ing. 4 dec. 1845, Coad. temp. form. 2 feb. 1876, ob. Albuquerque in New Mexico, 22 mart. 1926; Prov. Neo Aurelianensis.

149. S. Franciscus Tauber, nat. Grün ad Marienbad (Bohemia) 1 iun. 1906, ing. 7 sept. 1922, Schol. approb., ob. Mariaschein (Bohemia) 23 mart. 1926; Vicepr. Cechoslovacae.

150. C. Michael Maher, nat. Carlisle in Kentucky 1 aug. 1858, ing. 19 aug. 1884, Coad. temp. form. 15 aug. 1894, ob. St. Louis in Missouri 25 mart. 1926; Prov. Missourianae.

151. P. Philippus Echeverría, nat. Isasondo (Guipúzcoa) 27 mart. 1849, ing. 11 iun. 1866, Prof. 4 vot. 15 aug. 1883, ob. Deusto-Bilbao (Vizcaya) 26 mart. 1926; Prov. Castellanae.

152. P. Otto Braunsberger, nat. Füssen (Bavaria) 21 feb. 1850, ing. 3 maii 1878, Prof. 4 vot. 15 aug. 1891, ob. Exaten (Neerlandia) 27 mart. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

153. C. Nicolaus Picaza, nat. Orduña (Vizcaya) 6 dec. 1853, ing. 19 maii 1872, Coad. temp. form. 2 feb. 1884, ob. Vigo (Pontevedra) 28 mart. 1926; Prov. Castellanae.

154. P. Henricus Pesch, nat. Köln 17 sept. 1854, ing. 10 ian. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Valkenburg (Neerlandia) 1 apr. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

155. P. Caelestinus Ganel, nat. Bevenais (Isère) 15 dec. 1857, ing. 23 sept. 1875, Prof. 4 vot. 2 feb. 1895, ob. Besançon 1 apr. 1926; Prov. Lugdunensis.

156. P. Iosephus Melotte, nat. Sart-Dames-Avelines (Brabant.) 14 mart. 1871, ing. 5 oct. 1889, Coad. spir. 15 aug. 1908, ob. Liége (Dom. Exerc.) 1 apr. 1926; Prov. Belgicae.

157. P. Iosephus Domenici, n. Borgo S. Pietro (Aquila) 3 feb. 1865, ing. 2 aug. 1881, Prof. 4 vot. 2 feb. 1899, ob. Roma 2 apr. 1926; Prov. Romanae.

158. P. Leo Guèze, n. Grenoble 5 maii 1844, ing. 17 oct. 1864, Coad. spir. 2 feb. 1880, ob. Lyon 3 apr. 1926; Prov. Tolosanae.

159. P. Franciscus de P. Boissl, nat. in Amstetten (N. Oest.) 6 mart. 1855, ing. 7 dec. 1876, Prof. 4 vot. 2 feb. 1895, ob. Wien 3 apr. 1926; Prov. Austriae.

160. P. Alfonsus Scharlaeken, nat. Bruges 19 feb. 1855, ing. 26 sept. 1885, Coad. spir. 2 feb. 1897, ob. Ranchi (Ind. angl.) 4 apr. 1926; Prov. Belgicae.

161. P. Sigismundus Bernhard, nat. Pécs 23 nov. 1880, ing. 14 aug. 1898, Prof. 4 vot. 2 febr. 1916, ob. Budapest 4 apr. 1926; Prov. Hungariae.

162. P. Godefridus Jonckbloet, nat. Eindhoven 28 aug. 1848, ing. 26 sept. 1868, Prof. 4 vot. 15 aug. 1887, ob. Nijmegen 5 apr. 1926; Prov. Neerlandicae.

163. P. Gustavus Heredia, nat. México 19 ian. 1869, ingr. 22 aug. 1887, Prof. 4 vot. 2 feb. 1905, ob. México 6 apr. 1926; Prov. Mexicanae.

164. P. Matthaeus Power, nat. Carrick Beg. Waterford (Hibernia), 5 apr. 1857, ing. 16 oct. 1875, Prof. 4 vot. 2 feb. 1893, ob. Manchester (Lancashire), 7 apr. 1926; Prov. Angliae.

165. C. Martinus Paul, nat. Mareour (prov. Luxemburg.) 5 oct. 1844, ing. 12 nov. 1873, Coad. temp. form. 2 feb. 1884, ob. Arlon 8 apr. 1926; Prov. Belgicae.

166. C. Petrus Klinkner, nat. Kaisersesch (Prussia) 2 sept. 1863, ingr. 28 apr. 1886, Coad. temp. 15 aug. 1896, ob. S. Leopoldo 10 apr. 1926; Vicepr. Brasiliae Meridionalis.

167. C. Laurentinus Pereira, nat. Matacaes, Torres Vedras (Extremadura) 8 oct. 1864, ing. 6 sept. 1888, Coad. temp. form. 2 febr. 1899, ob. Bahia (Brasilia) 10 apr. 1926; Prov. Lusitanae.

168. P. Petrus Pastore, nat. Torino, 19 ian. 1846, ingr. 18 sept. 1881, Coad. spir. 15 aug. 1892, ob. Saluzzo (Cuneo) 12 apr. 1926; Prov. Taurinensis.

169. P. Georgius Dubar, nat. Dampremy (prov. Hannon.) 12 iun. 1874, ing.

23 sept. 1892, Coad. spir. 2 feb. 1911, ob. Mons 13 apr. 1926; Prov. Belgicae.

170. P. Theodorus Pockstaller, nat. Riezlern (Vorarlberg) 9 nov. 1880, ing. 30 sept. 1897, Coad. spir. 2 feb. 1914, ob. Deming (New Mexico) 13 apr. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

171. P. Alexander Fiévet, nat. Le Quesnoy (Nord) 3 oct. 1844, ing. 17 nov. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1886, ob. Mananjary (Madagascar) 15 apr. 1926; Prov. Campaniae.

172. P. Franciscus Hübner, nat. Bytom (Silesia Boruss.) 22 nov. 1859, ing. 25 ian. 1890, Coad. spir. 15 aug. 1901, ob. Cernauti (in Miss. Rumaenica) 17 apr. 1926; Prov. Poloniae.

173. P. Ferdinandus Tournier, nat. St. Vallier (Drôme) 12 feb. 1854, ing. 18 oct. 1879, Prof. 4 vot. 2 feb. 1895, ob. Roma 18 apr. 1926; Prov. Lugdunensis.

174. C. Aemilius Serra, nat. Calella (Barcelona, Hispania) 1 apr. 1859, ing. 15 iul. 1878, Coad. temp. form. 2 feb. 1890, ob. Mendoza 18 apr. 1926; Prov. Argentino-Chilensis.

175. C. Iosephus Cardoso, nat. Lamego (Beira-Alta) 13 dec. 1854, ing. 10 oct. 1875, Coad. temp. form. 2 febr. 1886, ob. Bahia (Brasilia) 20 apr. 1926; Prov. Lusitanae.

176. P. Ioannes McCormick, nat. Woolwich, London, 10 aug. 1853, ing. 30 sept. 1872, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. Georgetown (British Guiana) 21 apr. 1926; Prov. Angliae.

177. P. Ioannes Laspiur, nat. Vergara (Guipúzcoa) 29 aug. 1862, ing. 14 aug. 1880, Coad. spir. 2 feb. 1895, ob. Loyola e munic. Azpeitia (Guipúzcoa) 21 apr. 1926; Prov. Castellanae.

178. P. Fridericus Esser, nat. Rüthen (Westfalia) 1 sept. 1854, ing. 1 oct. 1873, Prof. 4 vot. 2 feb. 1891, ob. Valkenburg (Neerlandia) 22 apr. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

179. S. Marianus Ramírez, nat. Santa (Ilocos, Filipinas) 1 sept. 1901, ing. 2 dec. 1916, Schol. approb., ob. Manila (Filipinas) 22 apr. 1926, Prov. Aragoniae.

180. P. Adalbertus Baudiss, nat. Bojan (Bucovina) 14 apr. 1842, ing. 12 sept. 1856, Prof. 4 vot. 15 aug. 1875, ob. Starawies 25 apr. 1926; Prov. Poloniae.

181. P. Iosephus Bruker, nat. Wintzenheim (Bas-Rhin) 7 maii 1845, ing. 22 sept. 1860, Prof. 4 vot. 15 aug. 1878, ob. Enghien (Belgium) 26 apr. 1926; Prov. Campaniae.

182. C. Augustinus Cempanari, n. Marta (Roma) 11 mai. 1851, ing. 23 mai. 1880, Coad. temp. form. 2 feb. 1892, ob. Villa Vecchia (Frascati) 26 apr. 1926; Prov. Romanae.

183. P. Matthaeus Toohey, nat. Kilkishen (Clare, in Hibernia) 21 apr. 1854, ing. 25 ian. 1877, Coad. spir. 2 feb. 1897, ob St. Helens (Lancashire) 26 apr. 1926; Prov. Angliae.

184. C. Dominicus Petronsio, nat. Napoli (Italia) 5 aug. 1846, ing. 28 aug. 1877, Coad. temp. form. 15 aug. 1889, ob. Trinidad in Colorado 27 apr. 1926; Prov. Missourianae.

185. C. Bernardus Middendorf, nat. Heede (Hannover) 9 mart. 1855, ing. 29 sept. 1891, Coad. temp. form. 2 feb. 1902, ob. Puerto Montt (Chile) 30 apr. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

186. C. Franciscus Bouillard, nat. Barby (Ardennes) 21 oct. 1844, ing. 29 maii 1874, Coad. temp. form. 15

aug. 1884, ob. Lille (Nord) 2 maii 1926; Prov. Campaniae.

187. C. Ioannes Nep. Langer, nat. Neuwalde (Schlesien) 3 febr. 1856, ingr. 16 aug. 1883, Coad. temp. form. 2 febr. 1895, ob. Feldkirch (Austria) 2 maii 1926; Prov. Germaniae Superioris.

188. C. Alphonsus Fernández Ramilo, nat. Matamá (Pontevedra) 23 ian. 1907, ing. 22 oct. 1922, Coad. temp. approb., ob. Carrión (Palencia) 3 maii 1926; Prov. Legionensis.

189. S. Richardus Carbonell, nat. Roquetas (Tarragona) 8 iul. 1905, ing. 23 sept. 1920, Schol. approb., ob. Gandía (Valencia) 7 maii 1926; Prov. Aragoniae.

190. P. Ioannes J. Monahan, nat. Curnalee, Co. Roscommon in Ireland 12 aug. 1875, ing. 5 sept. 1906, Coad. spir. 2 feb. 1924, ob. Manila in Philippinis 8 mai. 1926; Prov. Marylandiae Neo Eboracensis.

191. P. Hippolytus Pujo, nat. St. Hilaire de Riez (Vendée) 6 iun. 1854, ing. 13 oct. 1872, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Paris 12 maii 1926; Prov. Franciae.

192. P. Iosephus Schauberger, nat. Neureichenau (Bavaria) 4 iul. 1878, ingr. 25 oct. 1896, Coad. spir. 2 febr. 1913, ob. Pullach prope München (Bavaria) 13 maii 1926; Prov. Germaniae Superioris.

193. C. Ioannes Ios. Garmendia, nat. Lazcano (Guipúzcoa) 2 apr. 1857, ing. 7 sept. 1880, Coad. temp. form. 2 feb. 1891, ob. Orihuela (Alicante) 13 maii 1926; Prov. Aragoniae.

194. C. Ioannes Klimek, nat. Jastrebia (Polonia Minor) 10 oct. 1863, ing. 31 oct. 1892, Coad. temp. form. 2 feb. 1903, ob. Starawies 13 maii 1926; Prov. Poloniae.

195. P. Iosephus Thüssing, nat. Warendorf (Westfalia) 16 ian. 1847, ing. 24 oct. 1868, Prof. 4 vot. 2 feb. 1886, ob. s'Heerenberg 16 maii 1926; Prov. Germaniae Superioris.

196. C. Wenceslaus Krzeminski, nat. Tarnopol (Polon. Minor) 1 dec. 1856, ing. 6 sept. 1886, Coad. temp. form. 2 feb. 1897, ob. Chyrów 16 maii 1926; Prov. Poloniae.

197. P. Germanus Dumoulin, nat. Savièse (Wallis, Helvetia) 5 febr. 1841, ingr. 7 sept. 1871, Coad. spir. 2 febr. 1882, ob. Feldkirch 17 maii 1926; Prov. Germaniae Superioris.

198. C. Iosephus Arnalot, nat. Alós de Anèo (Lérida) 8 iul. 1859, ing. 29 sept. 1875, Coad. temp, form. 2 feb. 1890, ob. Barcelona 17 maii 1926; Prov. Aragoniae.

199. S. Michael Checchia, nat. Biccari (Foggia, Italia) 6 iun. 1900, ing. 1 oct. 1915, Schol. appr., ob. Leura in Australia 18 maii 1926; Prov. Neapolitanae.

200. P. Michael Burgstaller, nat. in Neukirchen a. d. Vöckla (Ob. Oest.) 29 sept. 1839, ing. 31 aug. 1856, Prof. 4 vot. 2 feb. 1874, ob. Wien-Lainz 19 maii 1926; Prov. Austriae.

201. C. Thomas McShane, nat. Lisboy, Co. Fermanagh in Ireland 21 dec. 1848, ing. 29 oct. 1877, Coad. temp. form. 15 aug. 1882, ob. Baltimore in Maryland 21 maii 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

202. P. Alfredus Gonthier, nat. Anvers 8 ian. 1881, ing. 23 sept. 1900, Coad. spir. 2 feb. 1917, ob. Kimbau (Kwango) 23 maii 1926; Prov. Belgicae.

203. P. Ioannes Baptista Van der Aa, nat. Bruxelles 11 iun. 1843, ing. 24 sept. 1860, Prof. 4 vot. 2 feb. 1878, ob. Tronchiennes 29 maii 1926; Prov. Belgicae.

204. P. Pelagius Alava, nat. Vitoria (Alava) 26 iun. 1873, ing. 7 iul. 1890, Coad. spir. 2 feb. 1907, ob. Loyola e munic. Azpeitia (Guipúzcoa) 1 iun. 1926; Prov. Castellanae.

205. C. Gulielmus M' Cartney, nat. Cork, 17 ian. 1857, ing. 23 ian. 1880, Coad. temp. form. 15 aug. 1893, ob. Dublin 1 iun. 1926; Prov. Hiberniae.

206. P. Iulius Neys, nat. Maastricht (Limburg, Neerlandia) 5 aug. 1853, ing. 23 sept. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Fayt-lez-Manage (Hannon.) 2 iun. 1926; Prov. Belgicae.

207. P. Carolus H. Hessel, nat. Columbus in Wisconsin 30 mart. 1886, ing. 31 dec. 1906, Prof. 4 vot. 2 feb. 1924, ob. Prairie du Chien in Wisconsin 2 iun. 1926; Prov. Missourianae.

208. P. Clemens Barraud, nat. London, 6 dec. 1843, ing. 15 sept. 1862, Coad. spir. 15 aug. 1880, ob. St. Beuno's (Tremeirchion in Wallia) 3 iun. 1926; Prov. Angliae.

209. C. Hieronymus Larrañaga, nat. Elorrio (Vizcaya) 30 sept. 1857, ing. 10 mart. 1873, Coad. temp. form. 2 feb. 1888, ob. Burgos 4 iun. 1926; Prov. Castellanae.

210. P. Lucas Hansel, nat. S. Cruz 19 nov. 1862, ingr. 11 apr. 1881, Coad. spirit. 2 febr. 1899, ob. S. Leopoldo 6 iun. 1926; Vicepr. Brasiliae Meridionalis.

211. P. Arthurus Dupont, nat. Genappe (Brabant.) 19 feb. 1880, ing. 23 sept. 1898, Coad. spir. 2 feb. 1916, ob. Arlon 6 iun. 1926; Prov. Belgicae.

212. P. Alphonsus Chervalier, n. La Voûte-Chillac (Hte. Loire) 27 mart. 1846, ing. 3 sept. 1863, Coad. spir. 8 sept. 1881, ob. Tananarive 8 iun. 1926; Prov. Tolosanae.

213. C. Petrus Martin, nat. Damüls (Austria) 25 ian. 1851, ingr. 7 aug. 1874, Coad. temp. 2 feb. 1885, ob. Feldkirck 8 iun. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

214. P. Augustinus Houben, nat. Thorn (Limburg) 14 iun. 1842, ing. 26 sept. 1861, Coad. spir. 15 aug. 1877, ob. Antwerpen (Belgium) 9 iun. 1926; Prov. Neerlandicae.

215. P. Leopoldus Markefka, nat. Bytom (Silesia Boruss.) 16 sept. 1951, ing. 6 oct. 1869, Prof. 4 vot. 15 aug. 1887, ob. Kraków 12 iun. 1926; Prov. Poloniae.

216. P. Franciscus Dobson, nat. Liverpool (Lancashire) 14 nov. 1860, ing. 7 sept. 1877, Coad. spir. 2 feb. 1898, ob. Richmond (Yorkshire) 12 iun. 1926; Prov. Angliae.

217. P. Georgius Kollmann, nat. Tettnang. (Badenia) 11 sept. 1855, ingr. 7 oct. 1873, Coad. spir. 2 febr. 1891, ob. Aschaffenburg 13 iun. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

218. P. Vedastus Sortais, nat. Blain (Loire-Inférieure) 4 iul. 1852, ing. 19 nov. 1875, Prof. 4 vot. 2 feb. 1892, ob. Dinan (Ille-et-Vilaine) 13 iun. 1926; Prov. Franciae.

219. P. Ambrosius Cadet, nat. Saint-Philippe (La Réunion) 18 sept. 1863, ing. 18 aug. 1881, Prof. 4 vot. 14 mart. 1894, ob. Tananarive (Madagascar) 14 iun. 1926; Prov. Tolosanae.

220. P. Leo Dufour, nat. Armentières (Nord) 20 oct. 1883, ing. 9 oct. 1901,

Prof. 4 vot. 19 mart. 1919, ob. Armentières (Nord) 14 iun. 1926; Prov. Campaniae.

221. P. Gustavus Pierret, nat. Etalle (prov. Luxemburg.) 17 maii 1855, ing. 26 sept. 1918, Schol. approb., ob. Kesramal (Gangpur, Ind. angl.) 14 iun. 1926; Prov. Belgicae.

222. P. Martinus Kennelly, nat. Listowel (Anglia) 21 nov. 1859, ing. 19 sept. 1878, Coad. spir. 8 sept. 1900, ob. Shanghai (Chine) 15 iun. 1926; Prov. Franciae.

223. C. Ioannes Velázquez, nat. San Andrés Calpam (Puebla) 8 mart. 1860, ingr. 2 feb. 1887, Coad. temp. form. 15 aug. 1899, ob. Carichic (Chihuahua) 15 iun. 1626; Prov. Mexicanae.

224. P. Philippus O'Reilly, nat. Castlerahan (Cavan, in Hibernia) 20 sept. 1847, ing. 31 oct. 1867, Prof. 4 vot. 15 aug. 1887, ob. Park Royal (Middlesex) 16 iun. 1926; Prov. Angliae.

225. P. Henricus Heitger, nat. in Engers prope Koblenz (Borussia) 17 feb. 1865, ing. 7 sept. 1883, Coad. spir. 2 feb. 1896, ob. Wien 16 iun. 1926; Prov. Austriae.

226. C. Mathias Apel, nat. Ahn (Mai. Duc. Luxemburg.) 20 sept. 1859, ing. 30 oct. 1876, Coad. temp. form. 3 feb. 1890, ob. Kurseong (Ind. angl.) 16 iun. 1926; Prov. Belgicae.

227. C. Iosephus A. Nousa, nat. Praha (Bohemia) 1 nov. 1860, ing. 1 maii 1883, Coad. temp. form. 15 aug. 1893, ob. Milwaukee in Wisconsin 17 iun. 1926; Prov. Missourianae.

228. P. Vedastus Deprez, nat. Paris 3 ian. 1852, ing. 7 sept. 1872, Prof. 4 vot. 2 feb. 1889, ob. Paris 17 iun. 1926; Prov. Franciae.

229. C. Iosephus D. Zabala, nat. Azpeitia (Guipúzcoa) 12 maii 1852, ingr. 30 apr. 1890, Coad. temp. form. 15 aug. 1900, ob. Villafranca de los Barros (Badajoz) 21 iun. 1926; Prov. Mexicanae.

230. P. Ioannes Alberdingk Thijm, nat. Amsterdam 3 iun. 1847, ing. 25 sept. 1869, Coad. spir. 2 feb. 1883, ob. Mariëndaal 22 iun. 1926, Prov. Neerlandicae.

231. C. Maximilianus Westerberger, nat. Guttenburg–Mühldorf (Bavaria) 6 oct. 1879, ing. 10 apr. 1907, Coad. temp. form. 15 aug. 1917, ob. Exaten (Neerlandia) 23 iun. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

232. P. Iosephus Brzakalski, nat. Gusin (Regnum Polon.) 16 feb. 1863, ing. 29 aug. 1882, Coad. spir. 2 feb. 1896, ob. Nowy Sacz 23 iun. 1926; Prov. Poloniae.

233. P. Andreas Inauen, nat. in Eggerstanden (Appenzell, Helvetia) 12 apr. 1880, ing. 12 apr. 1904, Prof. 4 vot. 15 aug. 1921, ob. Innsbruck 23 iun. 1826; Prov. Austriae.

234. P. Eduardus Real, nat. Hermosilla (Burgos) 13 oct. 1871, ing. 24 apr. 1887, Prof. 4 vot. 15 aug. 1905, ob. San Sebastián (Guipúzcoa) 25 iun. 1926; Prov. Castellanae.

235. C. Ioannes Holterman, nat. Rotterdam 6 nov. 1856, ing. 26 sept. 1879, Coad. temp. form. 3 feb. 1390, ob. Maastricht 26 iun. 1926; Prov. Neerlandicae.

236. P. Iosephus Faber (Perscheid), nat. Moselkern (Germania) 17 nov. 1855, ing. 30 sept. 1876, Coad. spir. 2 feb. 1891, ob. Buffalo (New York) 22 iun. 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

237. C. Arnoldus Hillers, nat. Erkelenz (Rhenania) 10 iun. 1854, ing. 5 oct. 1879, Coad. temp. form. 15 aug. 1893, ob. Constantinople 28 iun. 1926; Prov. Lugdunensis.

238. S. Petrus Fernández-Miranda, nat. Mieres (Oviedo) 2 iul. 1908, ing. 6 oct. 1924, Nov. schol., ob. Carrión (Palencia) 29 iun. 1926; Prov. Legionensis.

239. P. Edmundus Vermelle, nat. Morbecque (Nord) 23 mart. 1846, ing. 27 aug. 1871, Prof. 4 vot. 15 aug. 1888, ob. Mouscron (Belgique) 30 iun. 1926; Prov. Campaniae.

240. P. Eduardus Ellison, nat. St. Helens (Lancashire) 30 iul. 1868, ing. 7 sept. 1889, Coad. spir. 2 feb. 1904, ob. Hough Green (Lancashire) 1 iul. 1926; Prov. Angliae.

241. C. Bartholomaeus Marchisio, nat. Trinita (Piemonte, Italia) 22 oct. 1865, ing. 12 nov. 1889, Coad. temp. form. 8 dec. 1901, ob. Fairbanks (Alaska) 2 iul. 1926; Prov. Californiae.

242. P. Iacobus I. Bric, nat. Killeney, Co. Kerry in Ireland 25 jul. 1845, ing. 14 apr. 1877, Coad. spir. 15 aug. 1888, ob. Boston in Massachusetts 4 jul. 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

243. S. Carolus F. Hill, nat. Cleveland in Ohio 17 sept. 1894, ing. 1 sept. 1916, Schol. approb., ob. Cleveland in Ohio 4 iul. 1926; Prov. Missourianae.

244. S. Hermannus Ios. de Menzingen, nat. Tange (Marocco) 8 aug. 1904, ing. 31 oct. 1923, Schol. approb., ob. Pullach prope München 4 iul. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

245. P. Aloisius P. Brosnan, nat. Washington in District of Columbia 14 nov. 1859, ing. 31 aug. 1875, Prof. 4 vot. 3 feb. 1896, ob. Georgetown in District of Columbia 5 iul. 1926; Prov. Marylandiae-Neo Eboracensis.

246. P. Venantius Manifatra, nat. Faseny (Nossibé) 18 maii 1862, ing. 18 aug. 1881, Coad. spir. 2 maii 1906, ob. Tananarive 9 iul. 1926; Prov. Tolosanae.

247. P. Iulianus Madariaga, nat. Abando (Bilbao) 16 mar. 1883, ing. 29 oct. 1904, Coad. spir. 2 feb. 1922, ob. Iap (Carolinas) 9 iul. 1926; Prov. Baeticae.

248. C. Carolus Arbanas, nat. in Tüchem (Steiermark) 26 ian. 1860, ing. 11 aug. 1885, Coad. temp. form. 15 aug. 1897, ob. Wolfsberg 10 iul. 1926; Prov. Austriae.

249. P. Antonius Marquès, n. Saint-Paul-le-Froid (Lozère) 8 maii 1853, ing. 23 dec. 1878, Prof. 4 vot. 3 feb. 1892, ob. Leyme (Lot) 11 iul. 1926; Prov. Tolosanae.

250. P. Leo Dekker, nat. Antwerpen 20 feb. 1856, ing. 26 sept. 1874, Prof. 4 vot. 2 feb. 1892, ob. Nijmegen 11 iul. 1926; Prov. Neerlandicae.

251. P. Iosephus Rousseau, nat. Etampes (Seine-et-Oise) 9 apr. 1845, ing. 5 oct. 1861, Coad. spir. 2 feb. 1885, ob. Paris 12 iul. 1926; Prov. Franciae.

252. P. Franciscus Xav. Simó, nat. Albi (Lérida, Hispania) 6 iun. 1851, ing. 28 iun. 1866, Coad. spir. 15 aug. 1885, ob. Santa Fé 13 iul. 1926; Prov. Argentino-Chilensis.

253. P. Carolus Dirks, nat. Groot Zundert 24 sept. 1846, ing. 26 sept. 1871, Coad. spir. 15 aug. 1888, ob. Oudenbosch 18 iul. 1926; Prov. Neerlandicae.

254. P. Tiburtius Arnáiz, nat. Valladolid 11 aug. 1865, ing. 30 mar. 1902, Coad. spir. 15 aug. 1912, ob. Málaga 18 iul. 1926; Prov. Baeticae.

255. P. Hyacinthus Carrobé, nat. Santa Lina (Lérida) 5 feb. 1861, ing. 18 aug. 1884, Coad. spir. 2 feb. 1900, ob. Barcelona 19 iul. 1926; Prov. Aragoniae.

256. S. Leander González, nat. Valle de Mansilla (León) 13 mar. 1907, ingr. 30 maii 1925, Nov.schol., ob. Aranjuez (Madrid) 23 iul. 1926; Prov. Toletanae.

257. P. Bernardus Bolle, nat. Rinkerode (Westfalia) 20 oct. 1855, ingr. 30 apr. 1891, Prof. 4 vot. 15 aug. 1902, ob. S. Cruz 24 iul. 1926; Vicepr. Brasiliae Meridionalis.

258. P. Emmanuel de Becquevort, nat. Waterloo (Belgium) 8 febr. 1838, ing. 12 nov. 1865, Coad. spir. 12 maii 1878, ob. Florennes (Belgium) 26 iul. 1926; Prov. Campaniae.

259. C. Iosephus A. Dixon, nat Monroe City in Missouri 12 dec. 1842, ing. 11 dec. 1866, Coad. temp. form. 15 aug. 1877, ob. St. Marys in Kansas 28 iul. 1926; Prov. Missourianae.

260. P. Alexander Villaseñor, nat. Jiquilpa (Michoacán) 22 oct. 1870, ingr. 13 nov. 1887, Prof. 4 vot. 2 feb. 1905, ob. México 30 iul. 1926; Prov. Mexicanae.

261. C. Ioannes Hoffmanns, nat. St. Tönnis (Rhenania) 19 apr. 1842, ingr. 9 oct. 1867, Coad. temp. 2 febr. 1878, ob. S. Leopoldo 1 aug. 1926; Vicepr. Brasiliae Meridionalis.

262. C. Iosephus Tugues, nat. Balaguer (Lérida, Hispania) 11 feb. 1844, ing. 22 ian. 1865, Coad. temp. form. 31 iul. 1875, ob. Santiago de Chile 2 aug. 1926; Prov. Argentino-Chilensis.

263. P. Henricus G. Huerman, nat. Cincinnati in Ohio 18 apr. 1861, ing. 24 iul. 1882, Coad. spir. 15 aug. 1900, ob. St. Louis in Missouri 7 aug. 1926; Prov. Missourianae.

264. C. Iacobus Lörken, nat. Mariaweiler (Düren, Rhenania) 13 oct. 1850, ingr. 4 oct. 1871, Coad. temp. 2 febr. 1882, ob. S. Leopoldo 9 aug. 1926; Vicepr. Brasiliae Meridionalis.

265. P. Emmanuel Santa Cruz Loidi, nat. Elduayen (Guipúzcoa Hispania) 23 mar. 1842, ingr. 20 iul. 1920, Schol. approb., ob. Pasto 10 aug. 1926; Prov. Columbianae.

266. P. Alfredus Maertens, nat. Gand 26 sept. 1838, ing. 26 sept. 1862, Prof. 4 vot. 2 feb. 1879, ob Frascati (Roma) 16 aug. 1926; Prov. Belgicae.

267. P. Matthaeus Tomé, nat. Carrión de los Condes (Palencia) 21 sept. 1864, ingr. 14 mart. 1881, Coad. spir. 15 aug. 1897, ob. El Paso Texas (U. S. A.) 18 aug. 1926; Prov. Mexicanae.

268. P. Gabriel Maujay, nat. Paris 22 ian. 1879, ing. 11 feb. 1899, Coad. spir. 2 feb. 1921, ob. Hing-hoa (Chine) 19 aug. 1926; Franciae.

269. P. Antonius Huonder, nat. Chur (Helvetia) 25 dec. 1858, ingr. 30 sept. 1875, Coad. spir. 2 febr. 1892, ob. Bonn (Rhenania) 23 aug. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

270. C. Thomas Power, nat. Churehtown (Hibernia) 20 apr. 1847, ing. 8 oct. 1867, Coad. temp. form. 15 aug. 1878, ob. San José (California) 23 aug. 1926; Prov. Californiae.

271. P. Emmanuel Peyret, n. Orthez (Basses-Pyr.) 22 dec. 1850, ing. 7 sept. 1875, Coad. spir. 25 mart. 1886, ob. Trichinopoly (India) 25 aug. 1926; Prov. Tolosanae.

272. C. Ioannes Baptista Deltour, nat. La Capelle-Bonance (Aveyron) 6 iun. 1864, ing. 12 mart. 1891, Coad. temp. form. 15 aug. 1901, ob. Constantinople 27 aug. 1926; Prov. Lugdunensis.

273. P. Gratianus Jourdan, nat. Grenoble France, 10 apr. 1832, ing. 1 maii 1855, Coad. spir. 2 feb. 1873, ob. Grand Coteau in Louisiana, 29 aug. 1926; Prov. Neo-Aurelianensis.

274. P. Iosephus Rauch, nat. Fiesch (Helvetia) 29 oct. 1867, ingr. 27 apr. 1888, Coad. spir. 2 febr. 1903, ob. Fiesch (Helvetia) 29 aug. 1926; Prov. Germaniae Superioris.

275. P. Leopoldus Wallner, nat. in Wien 29 oct. 1854, ing. 22 sept. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. St. Andrä 31 aug. 1926; Prov. Austriae.

276. P. Ioannes N. Oliver-Copons, nat. Ruidera (Ciudad Real) 3 nov. 1851, ingr. 22 sept. 1871, Coad. spir. 15 aug. 1890, ob. Chamartín de la Rosa (Madrid) 31 aug. 1926; Prov. Toletanae.

277. P. Iosephus España, nat. Salardú (Lérida) 24 mart. 1861, ing. 26 apr. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1894, ob. Barcelona 1 sept. 1926; Prov. Aragoniae.

278. P. Thomas Ivaldi, nat. Acqui (Alessandria) 7 feb. 1864, ing. 1 iul. 1882, Coad. spir. 15 aug. 1901, ob. Saluzzo (Cuneo) 1 sept. 1926; Prov. Taurinensis.

279. P. Augustinus Brou, nat. Chartres (Eure-et-Loire) 26 iul. 1866, ing. 7 sept. 1886, Coad. spir. 2 feb. 1905, ob. Paris 2 sept. 1926; Prov. Franciae.

280. P. Antonius P. Puntigam, nat. in Salsach (Steiermark) 15 maii 1859, ing. 13 sept. 1879, Coad. spir. 2 feb. 1896, ob. Wien 4 sept. 1926; Prov. Austriae.

281. P. Simon A. Blackmore, nat. Milwaukee in Wisconsin 24 feb. 1849, ing. 28 dec. 1871, Coad. spir. 15 aug. 1892, ob. Cleveland in Ohio 6 sept. 1926; Prov. Missourianae.

282. P. Alfredus Gonzáles Pitt, nat. Madrid 11 dec. 1851, ingr. 19 maii 1898, Coad. spir. 15 aug. 1908, ob. Granada 10 sept. 1926; Prov. Toletanae.

283. P. Hannibal Fernández, nat. Camposolillo (León) 19 nov. 1845, ing. 17 maii 1873, Prof. 4 vot. 15 aug. 1887, ob. Comillas (Santander) 12 sept. 1926; Prov. Legionensis.

284. P. Gulielmus I. Quigley, nat. New York 10 feb. 1857, ing. 30 iul. 1875, Coad. spir. 3 feb. 1895, ob. New York 15 sep. 1926; Prov. Marylandiae–Neo Eboracensis.

285. P. Iosephus Treca, nat. Douai (Gallia) 6 mart. 1854, ing. 12 nov. 1873, Coad. spir. 2 feb. 1889, ob. Seattle (Washington) 16 sept. 1926; Prov. Californiae.

286. S. Carolus Boyer, nat. Castres (Tarn) 29 apr. 1900, ing. 1 oct. 1919, Schol. approb., ob. Montpellier 19 sept. 1926; Prov. Tolosanae.

287. S. Gustavus Alonso, nat. Habana (Cuba) 11 oct. 1907, ing. 8 iul. 1925, Nov. schol., ob. Chapinero (Bogotá, Columbia) 19 sept. 1926; Prov. Legionensis.

288. P. Iosephus Calot, n. Arrens (Hautes-Pyr.) 26 iul. 1859, ing. 16 nov. 1892, Prof. 4 vot. 2 feb. 1907, ob.

Amiens 20 sept. 1926; Prov. Tolosanae.

289. C. Gualterus Ellis, nat. Glasgow (Scotia) 24 nov. 1879, ing. 14 iul. 1923, Coad. temp. approb., ob. Hackney (London) 20 sept. 1926; Prov. Angliae.

290. P. Renatus de Witasse, nat. Clermont (Oise), 4 oct. 1858, ing. 7 sept. 1878, Prof. 4 vot. 2 febr. 1895, ob. Paris 21 sept. 1926; Prov. Franciae.

291. P. Eduardus De Heel, nat. Anvers 21 sept. 1855, ing. 26 sept. 1872, Prof. 4 vot. 2 feb. 1890, ob. Bruxelles 22 sept. 1926; Prov. Belgicae.

292. P. Emmanuel Puertas, nat. Brea (Calatayud) 6 sept. 1844, ing. 11 maii 1874, Coad. spir. 2 feb. 1888, ob. Quito (Ecuador) 24 sept. 1926; Prov. Baeticae.

293. P. Firminus Echeverría, nat. Abando (Vizcaya) 7 iul. 1853, ing. 2 iun. 1878, Coad. spir. 15 aug. 1892, ob. Javier (Navarra) 24 sept. 1926; Prov. Castellanae.

294. S. Lucianus Simon, nat. Paris 3 oct. 1894, ing. 14 oct. 1919, Schol. approb., ob. Bruxelles 24 sept. 1926; Prov. Franciae.

295. C. Aloisius Peters, nat. Viersen (Rhenania) 2 oct. 1867, ing. 30 sept. 1890, Coad. temp. form. 5 mart. 1901, ob. Puerto Montt (Chile) 24 sept. 1926; Prov. Germaniae Inferioris.

296. C. Iosephus Lopes, nat. S. Vicente da Beira 6 mart. 1857, ing. 13 nov. 1879, Coad. temp. form. 2 febr. 1890, ob. Bahia (Brasilia) 27 sept. 1926; Prov. Lusitanae.

297. C. Salvator Prunés, nat. Manresa (Barcelona) 21 apr. 1863, ing. 2 feb. 1880, Coad. temp. form. 2 feb. 1895, ob. Gerona 28 sept. 1926; Prov. Aragoniae.

298. P. Adeodatus Durand, n. Saint-Léon (Aveyron) 18 iun. 1850, ing. 30 apr. 1873, Coad. spir. 3 feb. 1890, ob. Toulouse 29 sept. 1926; Prov. Tolosanae.

299. C. Iosephus Arangúren, nat. Azpeitia (Guipúzcoa) 5 mart. 1869, ing. 30 iul. 1895, Coad. temp. form. 15 aug. 1905, ob. Javier (Navarra) 30 sept. 1926; Prov. Castellanae.

PP. 192 — Schol. 15 — Coad. 92

Universi 299

INDEX ALPHABETICUS DEFUNCTORUM

A DIE 1 OCT. 1925 AD DIEM 30 SEPT. 1926

Nota. — Reiicitur ad numeros marginales.

INDICES GENERALES

TOTIUS VOLUMINIS

I.

INDEX PERSONARUM ET LOCORUM

C. = *Collegium.*
CN. = *Collegium Nostrorum.*
DE. = *Domus Exercitiorum.*
Dp. = *Domus professa.*
Dpr. = *Domus probationis seu Novitiatus.*
D3pr. = *Domus tertiae probationis.*
M. = *Missio.*
R. = *Residentia.*
Sem. = *Seminarium.*
St. = *Statio.*
U = *Universitas.*
VA. = *Vicariatus Apostolicus.*

II.

INDEX RERUM NOTABILIUM

A. = *Assistentia.*	R. = *Residentia.*
M. = *Missio.*	U. = *Universitas.*
P. = *Provincia.*	VP. = *Viceprovincia.*

QUAEDAM CORRIGENDA

IN VOLUMINE II MEMORABILIUM SOC. IESU.

Pag.	34	*lin.*	20	—	*pro*	illic	—	*lege*	illinc
»	44	»	34	—	»	virum	—	»	virium
»	47	»	8	—	»	sectionibus	—	»	sessionibus
»	53	»	30	—	»	S. Gregorii	—	»	S. Georgii
»	58	»	7	—	»	Cernentur	—	»	Cernuntur
»	72	»	22	—	»	concessionibus	—	»	consessibus
»	78	»	1	—	»	Patres	—	»	Patris
»	78	»	3	—	»	obsequente	—	»	obsequens
»	169	»	31	—	»	rationis	—	»	orationis
»	188	»	33	—	»	formidolosus	—	»	formidabilis
«	195	»	33	—	»	Caritate	—	»	claritate
»	450	»	15	—	»	Annis 1877-1894	—	»	Annis 1887-1894
»	477	»	14	—	»	Antioquiae	—	»	Medellini
»	477	»	20	—	»	Antioquiam urbem	—	»	Antioquensem provinciam
»	533	»	23	—	»	solutas	—	»	solutus
»	560	«	16	—	»	obverset	—	»	obversetur
»	564	»	5	—	»	litteras postulatorias	—	»	litterae postulatoriae
»	566	»	3	—	»	in onorem	—	»	in honorem